
243. VBI SEMPER EGENS quia Iustitia[3] nihil rapit, nihil latenter subripit.

245. APERTA id est manifesta, quia Simplicitas nihil fraudulente latet.

254. LAXIS FRENIS *a*) id est immissis quia equis currentibus habenae laxantur. *b*) Superbia Spem et Humilitatem conculcare vult.

255. VMBONIS *a*) umbo proprie dicitur bucula scuti sed in hoc loco pro pectore ponitur (25 v°), umbonibus enim equorum id est pectoribus impulsis hostes sepe prosternuntur. *b*) Vel umbonem, equinum scutum quod in equo sedentes portamus.

260. *Versutus* dicitur qui se vertat in diversas formas[4] : idem est et versipellis.

261. SCROBIBVS *a*) id est fossis. *b*) Scrobs[5] fossa[5] dicitur, idem et scobs unde et in Psalmo dicitur (LXXVI, 7) : « Scobebam spiritum meum » vel « scrobebam » id est fodiebam, ventilabam.

267. AT REGINA H. Humilitas et Spes mirantur ruinam Superbiae.

269. *Maligne* id est anguste : malignum proprie dicimus angustum.

1. nugas. — 2. declinantur. — 3. ini'titia. — 4. fortnas. — 5. In ras.

271. HIATVM id est terrae apertionem[1] : hio hias aperio, unde hiatus-a-tum[2].

272. PRONA RVENTIS[3] EQVI Superbia praecipitata cum omnibus armis et pompis suis properata ruit.

276. OS QVOQVE P. id est mediocriter non superbit propter mortem illius.

277. GAVDIA VVLTV Humilitas gaudium querit, Spes affert.

287. DISCE SVPERCILIVM *a*) supercilium pro superbia in Scriptura (Levit. XIV, 9?) ponitur, quia superbia in oculis maxime deprehenditur. *b*) Humilitas extinctam Superbiam obprobriis turbat[4].

293 (?). O. F. T. funda dicitur a fundendo eo quod lapides fundat id est emittat[5].

305. AERA PENNIS Humilitas superatis mundi pompis alas iam meruit unde caelos penetravit, sed Sancta Spes cum ceteris Virtutibus in hac vita laborans adgemit et ad ipsam pervenire per multas tribulationes apetit.

311. LVXVRIA E. *a*) luxuria dicitur omnis dissolutio et superfluitas in cibo et potu atque vestimento et in omnibus aliis superfluitatibus. *b*) Superius itaque Pudicitiae contra Libidinem pugna describitur. *c*) Hic vero Sobrietas omnem dissolutionem debellat[6].

312. LANGVIDA V. Luxuria enim vocem dissolvit cibi atque potus intemperantia.

313. VITAE C. C. *a*) ad hoc vult vivere ut Voluptati deserviat. *b*) Voluptas luxuriosa Libidinem pincernam[7] ministri loco <habet> cupidine ludi, Luxuria florida currit ad vana gaudia.

316. *a*) AC TVNC subauditur Virtutibus contra Vitia pugnantibus. *b*) PERVIGILEM id est per totam noctem caenabat usque ad lucem.

314. ELVMBEM elumbis dictur et inlumbis sine lumbis, id est sine viribus, quia in lumbis fortitudo consistit.

1. opatione. — 2. hiat'-a-t. — 3. ruenti. — 4. turbant. — 5. emittit. — 6. debellit. — 7. picernā.

317. SVB LVCEM pro ante vel usque : *sub* enim quando temporis est accusativo iungitur.

324. *Nervus* dicitur vinculum quod ex nervis fit vel corda arcus.

325. *a*) *Amentum* est laceus[1] teli id est vinculum quo tela iaciuntur. *b*) *Framea* dicitur gladius bis acutus vel lancea regalis sed hic pro gladio ponitur.

326. SED VIOLAS Virtutes etiam cum Vitiis; Luxuria blandis florum conspersionibus <dimicare> cupit.

327. CALATHI sunt proprie vasa viminea in quibus flores portantur.

331. *Tori* sunt proprie pulpae eminentes brachiorum in quibus est signum fortitudinis vel in pectore aequi: unde brachia torosa[2] dicuntur.

332. DEICIVNT *a*) id est inclinant. *b*) Oblitis armis victricibus viri ornamento luxurioso delectantur decipi.

335. *a*) *Brata* est lamina auri tenuissima. *b*) CREPITANTIA[3] quia brate quae in loris erant positae dependentes sonitum quendam reddebant.

339. *a*) *Electrum* dicitur succinum arboris quod ex eius cortice desudat: unde Virgilius (Buc. VIII, 54): « Pinguia corticibus <sudent> electra miricae. » *b*) Est et naturale, est aetiam et factivum, verbi gratia VI numi aurei cum tribus argenteis commiscentur et sic argentum auro claritatem inducit.

340. *Deditio* est quando homines hostibus suis se sponte tradunt.

343. GANEARVM *a*) id est voluptatum. *b*) Ganeo et ganea dicitur tabernarius caupo[4], *c*) inde GANEARVM LEGE dicit id est tabernariorum cauponum luxuriosorum quia tabernarii vinosi sunt et luxuriosi. *d*) Ganea vero dicitur genere feminino tabernaria, et ganea masculino caupo.

345. *a*) Sancta Sobrietas cum crucis vexillo occurrit et de praeceptis revocat homines ad originem sui id est ad

1. lac'. — 2. tinosa. — 3. crepitatia. — 4. capp.

commemorationem Creatoris, ne pereant apetitibus Luxurie pessimis (26 r°). *b*) DEXTRO exercitus procedens ad bellum cornua ex se facit in modum forcipis ut intra se multitudinem hostium contundat [1].

349. ALAM id est cuneum. *b*) Ala [2] est turba equitum quia quasi alati bellum veloces adeunt vel quia pedites veluti alis velant : nodus vero peditum <multitudo> quia sicut nodus difficile rumpitur.

353. *Pro* PUDOR pro interiectio est dolentis : pudor verecundia.

355. FERRVGINEO [3] ferrugo est genus purpurae Hispaniae subnigrae : inde ferrugineus *color* dicitur id est purpureus, subniger [4].

362. *a*) *Sirma* est vestis tragica, sirma etiam dicitur tragedia, tragicum carmen : et est syrma longaria, hoc est longae manus scriptura sed hic pro U. O [5].

362. *b*) VERRAT id est cum succinti ad bellum pergere deberetis, vestibus pretiosis ad pedes defluentibus vultis incedere [6].

364. INMORTALEM TVNICAM haec est tunica inconsutilis quam in passione Domini milites scindere nequiverunt, per quam Catholicae Aeclesiae unitas designatur quae nullam recipit sectionem [7].

370. TOREVMATA quia aut vino effuso aut vomitu humectabantur.

371. Illam *sitim* dicit quam populus Israheliticus in heremo sustinuit cum terram repromissionis per laborem adiret [8].

372. *Mistica* VIRGA quia illa virga, qua bis petra percussa est, crucem Christi significat, quae ex duobus lignis compacta est [9].

375. FELICIOR AEVO *a*) David bellandi peritissimus toto pene tempore vitae bellis fatigatus fuit et ideo semper vicit. *b*) FELICIOR AEVO quia nunc verum

1. contudat, corr. ex concludat. — 2. alia. — 3. Furrigineo. — 4. 355 post 364. — 5. (Pro veste omnino.) — 6. 362 a post 353; 362, b post 355. — 7. 364 post 371. — 8. 370-371 post 362. — 9. 372 post 362.

cibum id est corpus Christi populus Christianus comedit qui per illud manna [1] significabatur quod populus Iudaicus manducavit : manna enim corpus Christi significat [2].

380. SALTATRIX *a*) Beatus Hieronymus (vid. Vit. Pauli, 3) de quodam martyre dicit quod cum per poenas et tormenta ad idolatriam nequivisset reflecti, tortores eum ad quendam amoenissium hortum duxerunt, ubi rivulus leniter fluens gratissimmum sonum reddebat cumque ei lectum de floribus rosarum construxissent, nudantes mollissimis vinculis ligaverunt atque meretricem pulcherrimam nudam ad eum transmiserunt quae veniens, quod dictu nefas est, manibus adtractavit virilia eius ut ipsis in libidinem concitatis ipsa inpudenter subiaceret. *b*) Ille vero quem tormenta non vicerant [3] sentiens se voluptate superari mordicus abscidit et in faciem illius cum cruore iactavit et sic dolor vulneris extinxit ardorem libidinis. *c*) Et hoc est quod dixit SALTATRIX EBRIA FLEXIT [4].

384. DEI GENETRICEM linea generationis Christi <est> ab Abraam ad Iudam, a Iuda ad David de cuius stirpe Regia Maria orta <est> quae Christum ex se genuit incarnatum qui est verus Deus et verus homo : unde Apostolus (Paul. II. Tim. II, 8) : « Memor esto Dominum Iesum ex semine David » et reliqua, quem ex semine David natum dicit quia ex Sancta Maria veram carnem assumpsit [5].

388. EXCITET ET *Samuel* S. Q. D. *a*) Samuhel a Domino missus ad Saulem praecepit ei [6] ut iret contra Amelech et nulli parceret, sed omnes homines a minimo usque ad maximum cum omnibus quae habebant deleret; sed Saul cum victor extitisset Agag regem vivum apprehendit et, omni vulgo interfecto, Agag et mulieres pulchras et animalia pinguia reservavit. *b*) Cumque Samuhel obviam Saul redeunti venisset in Galgala, indignatus praecepit ut adduceretur Agag et cum interficeret eum

1. magna. — 2. 375 post 384. — 3. uincerant. — 4. 380 post 375. — 5. 384 post 372. — 6. aei.

dixit ei[1] (I Reg. XV, 33) : « Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis inter mulieres erit mater tua » et concidit in frusta eum[2].

397. *Poenituit* IONATHAN *a*) Saul cum exercitum Philistorum quem Ionathas in fugam vertere coeperat persequeretur adiuravit populum dicens (I Reg. XIV, 24) : « Maledictus vir qui comederit panem usque ad vesperum, donec ulciscar me (om. Vulg.) de inimicis meis. » (26 v°) *b*) Hoc nesciens[3] Ionathas favum mellis in saltu repperit et tingens in eo summitatem virge suae gustavit et illuminati sunt oculi eius, cumque propter hoc Dominus populo iratus fuisset, Saul volens advertere per[4] quem hoc acciderit peccatum, misit sortem et dixit (I Reg. XIV, 39) : « Vivit Dominus salvator Israel quia si per Ionathan filium meum factum est hoc, absque ulla retractione morietur[5]. » *c*) At ille per mortem deprehensus et a patre quomodo hoc factum esset inquisitus respondit (I Reg. XIV, 43) : « Gustavi in sumitate virge meae paululum mellis et ecce ego morior. » *d*) Sed eum cum Saul vellet occidere a populo ereptus est.

402. SECVRES quod dicit secures translatum a Romanis qui reos securi interficiebant.

405. LVXVRIES Graece, luxuria Latine ; sicut poetes et poeta et cetera.

407. SIC[6] EFFATA iam revocatis ad mentem populis, Sobrietas signo crucis currum Luxuriae terruit, funditus praecipitavit[7].

408. *Quadrige* et *quadrugiae* idem sunt, a quatuor aequis dictae.

410. CORNIBVS *a*) cornua vocat brachia crucis dominicae de quibus scriptum est (Hab. III, 4) : « Cornua in manibus eius » : sed mirandum cum manus[8] in cornibus fuerunt quare dixit cornua in manibus, sed re vera in manu Dei erant, hoc est in potestate Dei. *b*) OPPANSIS dicimus expansis.

1. aei. — 2. 388 post 380. — 3. nestiens. — 4. *Iteratur*. — 5. mouet[2]. — 6. Sic̄. — 7. p̄citauit. — 8. manibs.

414. PVLVERE F. quia capilli eius unguento madidi pulverem contrahebant.

416. *Subflamen* proprie lignum dicitur vel aliud aliquit unde[1] rota tardatur, ne moveat.

417. VVLNVS LAETALE[2] id est licet ea[3] sciret eam cito morituram tamen ictu mortifero eam percussit.

419. VEXILLIFERAE id est Sobrietati vexillum crucis ferenti.

421. Ideo in ore eam percussit quia per eos peccavit nimium comedendo et bibendo unde et Dives in lingua torquetur (vid. Luc. XVI, 24) quia in conviviis multa superflua loquebatur.

425. INSOLITIS DAPIBVS quia numquam solita fuerat linguam suam manducare.

427. EBIBE hic Sobrietas increpat Luxuriam extinctam.

428. FERCVLA proprie dicuntur disci ubi cibi feruntur, sed in hoc loco pro cibis ipsis ponuntur.

429. NIMIIS superfluis, immoderatis.

431. ASPERET *a*) id est amaricam eam faciat, exasperet. *b*) *Haustus* id est devorationes et est quarte declinationis.

435. *Sistrum* est genus tubae Egyptiae quam Isis[4] in manu sua portabat, unde fertilitas aut sterilitas anni sequentis demonstrabatur et utrum Nilus exundaret an alveo suo constringeretur.

437. FARETRAMQUE C. Amor qui et Cupido abiectis facibus et sagitis fugit[5].

439. POMPA *a*) socia Luxuriae et famula illius. *b*) OSTENTATRIX id est iactatrix, demonstratrix.

440. PEPLO quia luxuriosi pomposo vestitu delectantur.

443. *Frutecta* quia multi voluptate propter Deum relicta, nudatis pedibus atque discalciatis pergunt ad oratoria Sanctorum.

1. ind. — 2. laeta. — 3. eam. — 4. issi. — 5. 437 post 439 b.

445. Igitur Voluptas per spinas fugit FORMIDINE PERICLI.

448. DAMPNA *a*) vocat spolia et ornamenta quae illa jaciebant[1]. *b*) Sobrietas et ceterae Virtutes abstinent a spoliis.

449. FLAMEOLUM operculum capitis croceum.

451. CASTIS *a*) id est strictis. *b*) Castum dicimus strictum, e contra libidinosi laxi dicuntur.

452. *Scandalum* Graece offensio Latine, et est proprie scandalum offendiculum pedis et impactio quando <quis> in lapidem aut lignum vel aliud aliquod offendit sed in hoc loco SCANDALA pro ornamentis ponuntur quae scandalum faciunt se desiderantibus.

455. VNCA id est recurva, ad rapiendum parata.

456. LVDIBRIA ornamenta dicta a ludendo eo quod deludant hominem cum eum relinquunt.

457. *Caducum* dicitur[2] aurum a cadendo, eo quod homines cadere faciat vel quod longo tempore cadat id est deficiat.

459. *Crumini* sunt sacculi pauperum.

461. Avaritia sinistro semper latere furtiva vel omnia lucra turpia ocultat[3].

463. OPERMENTO pro operimento per sincopam : sincopa est ablatio de medio dictionis.

467. NEC MINUS *a*) sed similiter. *b*) Omnium (27 r°) Vitiorum genera in lupinam rabiem conversa per Avaritiam, reliqua quia lupi rabiem naturalem semper habent.

468. GRASSANTIA id est depraedantia, devastantia; inde grassatores dicuntur milites crudeliter per totos agentes.

469. MATRIS A. quia Avaritia radix omnium malorum est.

470. CERAVNIS *a*) cerauni sunt gemmae quae recipiuntur in locis ubi fulmina cadunt et multum contra fulmina proficiunt. *b*) Κεραύνιον[4] enim Graece fulmen dici-

1. iacebant. — 2. ducitur. — 3. 461 post 463. — 4. cera unium.

tur. *c*) Unde montes Epyri Acroceraunì dicuntur a crebris fulminibus quae ubi cadunt quasi summi <sunt> κεραυνοί[1]. *d*) ἄκρον[2] enim Graece summum dicitur.

471. GERMANVS Avaritia quos nutrit ad ferocitatem rapinae provocat.

477. COGNATAMQVE quia aetiam cognatos spoliant.

480. *Editores* dicebantur qui ex suis propriis sumptibus ludos administrabant.

482. M.V.V. Avaritia devictos suos exsecat.

484. CAECVM ERRARE SINIT *a*) quia multi per ignorantiam peccata perpetrant. *b*) Inde Apostolus (Paul. I, ad Tim. 6, 9): « Qui volunt esse divites incidunt in temptationem et in laqueum diaboli. »

486. VIDENTEM quia multi scientes peccant.

491. NEC PATITVR quia semper resident ubi aurum quoquitur.

492. ARSVRVS P. Avaritia amatores suos muneribus periculosis in corde latenter vulnerat.

493. ILLA GENVS Avaritia seducit plurimos ad incendia.

496. *Gehenna* interpretatur vallis gravida[3].

501. FERRVM[4] genus Leviticum Ratio defendit, Avaritia ferit.

502. LEVITIDIS de Levi qui interpretatur assumptus : LEVITIDIS gens, id est Levite, fuerunt quos nunc proprie diacones dicimus de quibus erant sacerdotes Veteris Testamenti quibus in Lege praecipitur logium id est rationale iuditii in pectore portare, quia in pectore sacerdotum Ratio semper debet consistere, ut videlicet doctrinae et veritati studeant, non curis mundanis secularibusque negotiis, quatinus inter bonum et malum verum discernant et falsum : unde et hic Ratio telis Avaritiae clipeum[5] dicitur obiectare.

507. *Ledit* id est vulnerat quia quidam sacerdotum ab Avaritia vulnerantur.

1. cerauni. — 2. aciros. — 3. gratuita. — 4. Ferū. — 5. C̄libeū.

510. INFIT defectivum verbum est, id est loquitur.

511. VINCIMVR *a*) id est superamur. *b*) SEGNES id est inertes, pigri, tardi. *c*) Segnis dicitur quasi sine igni. *d*) Verba sunt Avaritiae nimium dolentis quia sacerdotes superrare non poterat. *e*) Iohannes Constantinopolitanus ἐλεήμων[1] vocatur est id est misericors.

515. CVIVS RIGOR *a*) id est duritia fortis. *b*) AERA id est metalla. *c*) Aes enim generale nomen est omnium metallorum quae igne coquuntur.

520. *Stix* ABDIT palus Inferni que tristitia interpretatur; ac si diceret « Etiamsi in Stige aurum fuisset, ego inde rapuissem » sicut Hercules de Inferno aurum fertur extraxisse.

521. DITISSIMA *a*) Pluto deus[2] Inferni Graece dicitur, et Latine interpretatur dis vel dives quia inferno nihil ditius ad quem pene omnia vadunt. *b*) Unde Horatius (A. P., 63): « Debemur morti nos nostraque. » *c*) Et idem[3] dicit DITISSIMA TARTARA.

526. SORDET CH. id est sordida videtur, id est aurum quod aliis omnibus clarum videtur et rutilum, Christianis est sordidum.

527. EMBLEMATA *a*) id est superabundantiae. *b*) Emblemata dicuntur varietas pavimenti vel superhabundantiae : unde et embolismus annus dicitur superabundans.

529. QVID S. D. id est quid sibi volunt isti sacerdotes qui quasi superbiendo aurum contemnunt.

530. EX SCARIOTH *a*) Scarioth memoria mortis quia memoriam habuit mortis Domini. *b*) Scarioth autem dicitur quasi Iscarioth quia de tribu Isachar[4] fuit.

532. *a*) *Parapsis* est quadrilaterum dictum a paribus absidis id est lateribus, licet absidae non sint sed circuli. *b*) Iohannes autem Scotus dicebat parobsis a parandis obsoniis id est discus ubi obsonia parabantur. *c*) Obsonia namque omnes cibi generaliter dicuntur.

1. elegimonos. — 2. deos. — 3. ide. — 4. isacar.

536. VIDERAT E. I. *a*) historiam tangit : Iosue (27 v°) cum civitatem Iericho obsideret ex praecepto Domini cum cunctis bellatoribus semel per diem diebus VI ipsam circuivit; die autem VII praecepit sacerdotibus ut arcam Domini portantes bucinas secum deferrent adque cum omni populo urbe septies circumita dixit ad omnem Israel (Ios. VI, 17-18) : « Sit civitas haec anathema et omnia quae in ea sunt Domino; sola Raab meretrix vivat cum suis qui cum ea in domo sunt. *d*) Vos autem cavete ne de his quae precepta sunt quippiam contingatis » et reliqua quousque dicit[1] (19-20) « quicquid autem auri et argenti fuerit et vasorum aeneorum[2] ac ferri Domino consecrentur in thesauris eius. » *c*) Igitur vociferanti omni populo et tubis clangentibus muri corruerunt et ascendit unusquisque per locum qui contra se erat[3] et capientes civitatem interfecerunt omnia viventia quae in ea erant caeteraque absque supradictis combusserunt.

537. ACHAR namque videns inter spolia pallium coccineum valde bonum et ducentos siclos[4] argenti, regulam quoque auream quinquaginta siclorum concupiscens abstulit et abscondit in terra contra medium tabernaculi sui[5] : postea vero per sortem deprehensus ab omni populo lapidatus est, omnia vero quae illius erant igne consumpta sunt et anathemate[6].

538. SVPERBVS id est gloriosus nobilis : superbus hic pro nobili et glorioso accipitur.

540. ANATHEMA id est alienatio[7].

541. RVINARVM SPOLIA *a*) id est regulam et pallium coccineum. *b*) Alia translatio habet linguam id est parvam linguam sed nos dicimus regulam.

543. Achar iste, qui Avaritia inflamante periit, ex tribu Iuda patriarchae secundum carnem natus est.

543. QVANDOQVE PROPINQVO quia de illius stirpe ortus est David, ex cuius progenie secundum carnem natus est Christus[8].

1. dīt (= dicit). — 2. eneū. — 3. erant. — 4. Corr. ex ciclos. — 5. s. XII in ras. — 6. 537 post 540. — 7. 540 post 541. — 8. 543, post 537.

545. « Ergo » inquid « si sacerdotibus placet esse ex genere Iudae spiritalis » id est Christi, « placeat[1] illis ut pereant sicut periit Achar qui de tribu Iuda patriarche progenitus est ».

548. NAM FERTVR AARON quando Ai civitas capta est quia virtute non potuit Aaron eam devincere, insidias praetendit sed revera non hoc fecit Aaron quia iam mortuus erat sed de illius stirpe.

554. QVAM MEMORANT F. *a*) Avaritia se ornat ut facilius virtutes fallat. *b*) Duo enim sunt contraria id est avarus et prodigus : prodigus enim putat se largum ac per hoc iustum, avarus vero parcum ac per hoc honestum.

556. ARTIS *adumbrate* qua se substantia virtutis adumbrat, Avaritia sequaces suos deludens tenacibus catenis nectit.

557. COAPTAT id est simulat : Avaritia enim se sub Parcitatis forma magnificat.

562. CLEPERE *a*) furari, surripere, quietare : clepere est enim furari, unde κλέπτης[2] Graece, fur Latine ; unde et clipeum quidam volunt dictum id est scutum magnum quod corpora militum morti furatur. *b*) Dicitur hic clipeus et hoc clipeum.

566. *Erinys* ἔρις[3] Graece, lis Latine ; inde Erinis dicitur dea belli, id est Bellona id est Avaritia.

567. ARTAT id est stringit quia ab operibus misericordiae eos prohibet.

568. MANIPLIS *a*) id est copiis vel legionibus. *b*) Romulus cum adhuc pauper esset et non haberet unde signa faceret, maniplum feni pro signo in hasta portabat unde et manipli dicuntur legiones vel signa. *c*) Manipuli autem integre dicuntur accentu in antepenultima posito sed manipli per sincopam manente in penultimo qui antea erat in antepenultimo : similiter periclum[4].

569. BIFORMIS biformem portentum Avaritiam vocat quae primitus monstrabat se Avaritiam[5] esse : cum vero

1. placet. — 2. cleptes. — 3. eris. — 4. pidū. — 5. auaritiāe.

ita fallere non posset, fingebat se parcam (esse) pro amore filiorum (28 r°) talia faciendo ut per hoc honestas in ea compararetur et ita illicere posset[1].

576. INPOSITVRA MANVM id est finem quia ipsa bellum terminavit : dicimus imponere manum libro cum finimus[2].

578. NVDATA INDVVIIS[3] induviae dicuntur ab induendo sicut exuviae ab exuendo.

589. TREPIDAM Benignitas captam Avaritiam strangulat.

598. *Dirimo* est separo unde est diremptio[4] id est separatio : diripio vero dispergo.

599. RECOCTAM Benignitas superatam Avaritiam dissipat.

600. *Tineae* a terendo dicuntur quia terunt[5] vestimenta[6].

601. *a*) *Erugine* id est caligine. *b*) <OBDUCTA> cooperta circumducta, quia numi diu servati quandam caliginem contrahunt[7].

602. DISPERGIT Sancta Largitas omnes divitias Avaritiae pauperibus erogat.

604. TVNC CIRCVMFVSAM Sancta Sobrietas fidelibus exempla evangelica ostendens manibus et aliis denuntiat ne quis praeter debitum necessariumque usum aliquid appetat[8].

606. SOLVITE PROCINCTVM *a*) procinctus apparatus bellicus, accinctus praeparatus ad bellum, discinctus qui iam victor existens quasi securus discingit arma sua. *b*) Unde tractum est proverbium (I Regg. XX, 11) : « Non glorietur accinctus aeque ut discinctus. »

612. MODVM NATVRAE id est naturae parum, Avaritiae nihil sufficit.

614. DE TUNICAE[9] A. *a*) Beatus Hieronymus (cf. in Ezech. XIII, 44, 6, sqq.) dicit omnia necessaria corporis

1. 569 post 576. — 2. 576 post 578. — 3. Induuiis nudata induuiis. — 4. dirептio. — 5. terent. — 6. 600, post 602. — 7. 601 b. post 598. — 8. 604 post 600. — 9. tonicae.

indumenta pro una veste deputari, superflua vero pro duabus. *b*) Quomodo enim homines et maxime illi qui in frigidis regionibus habitant ut in Scithia et in Hyperboreis montibus una veste possunt esse contenti. *c*) Et per unam vestem simplicitatem, per geminam vero duplicitatem mentis designat, ut nullus sit duplicis animi : saculus et pera sollicitudo huius saeculi intelligitur, aes in zona vel pera sapientia abscondita.

615. RES CRASTINA *a*) « nolite cogitare de crastino » (cf. Math. VI, 34) » : non de crastino dicit non esse cogitandum, scilicet et de futuro tempore inde sequitur (Math., VI, 34) : « Sufficit diei malitia sua » id est afflictio. *b*) Quia si praesentis diei cura homo affligitur, quanto magis affligeretur si <de> tempore futuro cogitaret? *c*) Malitia itaque in hoc loco non pro vitio sed pro afflictione ponitur.

619. VOLVCRES VILES id est moribundae anima et corpore.

620. *a*) *Passeres* sunt omnes minores aves, vocatae ita a parvitate corporis ; sed re vera tria genera sunt passerum : unum quod in foraminibus maceriarim et parietum nidificat, aliud quod lascivo et petulco[1] volatu per plana et roscida rura vagum fertur, tertium quod ad montes et squalentia loca transit. *b*) Unde psalmista (X, 2) : « Transmigra in montem sicut passer. » *c*) ASSE id est uno nummo. *d*) Assis est genus numi parvissimi, sed ponitur aliquando pro libra.

629. HIS DICTIS Labor, Metus, Fraus, dispersi fugiunt.

630. Inficio id est corrumpo quasi fece polluo : inficior vero deponens est id est nego, a quo descendit INFICIATRIX id est negatrix[2].

632. *Abegit* abago id est repello, unde abactores dicuntur praedatores.

633. Fibula est unde cingulum ligatur, unde *exfibulare* dicimus fibulam resolvere.

1. peculeo. — 2. 630 post 632.

636. CORNICVM *a*) id est cornua canentium[1] vel tubam : cornicularius qui in cornicibus augurium captat. *b*) Nam a cornice cornicula fit diminutivum : unde cornicularius. *c*) Turbae silent[2] et gladii reconduntur in vaginis[3].

649. EQVITVM *a*) scilicet qui ymnizabant. *b*. Pulcher ordo equitum geminatus peditumque triumphantium etiam cum psalmis quasi ad requiem festinantium.

654-55. NIGROSQVE NILICOLAS id est Aethiopes Nilum colentes; Aegyptii enim maxima ex parte nigri sunt.

665. *Arctum* id est strictum : per arctam namque viam pervenitur ad regnum coelorum.

666. INTROITVM *a*) strictum[4] dant introitum portae castrorum pro multitudine (28 v°) Virtutum ex receptione fidelium. *b*) BIFORI CARDINE dicit quia nisi per fidem et operationem et per duo praecepta caritatis regnum caelorum nemo valet intrare. *c*) CLAVSTRA Virtutes urbem ingrediuntur[5].

667. ASTV fraude, astutia, dolo.

672. EXCIPIT ocultum eclesia persecutionibus iam secura cessantibus, diversis hereticorum scismatibus laceratur.

673. *Levo* *a*) quia ad hereticis consentiunt, sinistrae parti pertinent. *b*) SQVALENTIA fulgentia : quando fulgorem significat a squama dirivatur, unde squalentia dicit : quando vero sordem, a squaleo.

681. PVGNATRIX *a*) scilicet Discordia quae ex parte Vitiorum pugnabat quae victa erant. *b*) Virtutes enim adhuc dubiae de ignota Discordia.

684. MENTITA FIGVRAM id est fingens[6], ficto habitu quasi pacifica Concordia[7].

685. SCISSA cum PALLA depingitur quia ipsa divisionem atque scissionem facit hominum[8].

686. IN STRAGE id est inter mortuos[9], inter cadavera interfectorum.

1. acanentiū. — 2. sint. — 3. uanis. — 4. scriptū, p ex c. — 5. 666 c post 672. — 6. figens. — 7. concordiā. — 8. 685 post 690 a. — 9. motuo.

687. OLEA FRONDENTE quia oliva signum pacis est, ipsa ramis olivae coronata [1] erat fingens se esse Virtutem.

688. FESTIS R. id est laetis, festivis id est inter cantantes Virtutes illa cantabat.

689. SED SICAM sica est genus gladii *heltes* id est capulum habens in medio, mensurae pedalis et ex utraque parte percutit, cum impingitur et cum retrahitur : unde sicarii dicuntur qui eo genere gladii utuntur [2].

690. SOLAM *a*) id est Virtutes vulneravit Discordia latens multosque serpentino flagello superatos subdidit [3]. *b*) CONCORDIA T. quia Discordia contraria est Concordiae [4].

706. VIRTVTVM LEGIO Virtutes captam circumdantes Discordiam deprehendunt, discutiunt, convincunt.

707. SECTAMQVE *a*) αἵρεσις [5] Graece, Latine secta dicitur. *b*) Heresis autem electio interpretatur quia unusquisque eligit quod vult, secta autem [6] a sequendo.

711. NVNC MINOR *a*) quia [7] Arrius minorem Patre dicebat Filium. *b*) AUT MAIOR sicut ipse Patrem Filio maiorem asserebat [8]. *c*) DVPLEX quia quidam heretici Patrem et Filium tantum accipiebant sine Spiritu Sancto. *d*) SIMPLEX sicut Sabellius qui, unam personam in divinitate tantum affirmabat dicens : « quando vult, Pater est, quando vult Filius, quando vult Spiritus Sanctus est [9]. »

712. AERIVS quia quidam dicunt aerium corpus Christum assumpsisse et non veram carnem de Virgine.

713. AVT INNATA *a*) id est internata id est congenita cum corpore. *b*) Alii enim heretici dicebant animas cum corporibus nasci, alii e contra ante mundi constitutionem simul creatas et sic singulas singulis corporibus immitti.

714. *Belial* interpretatur absque iugo id est diabolus : nullum enim ingum recipit.

722. OFFERAT Discordia a cunctis Virtutibus dissipata bestiis devoranda proicitur [10].

1. coronatae. — 2. 689 post 690. — 3. 690 a post 684. — 4. 690 b post 688. — 5. heresis. — 6. aut. — 7. qui. — 8. asserabat. — 9. q. u. f. q. s. s. *e*. — 10. 722 iteratur post 728.

728. VALLOQVE F. *a*) vallum est munitio ex fossa et palis facta, vallos vero dicimus palos. *b*) Unde Virgilius (G. I, 264) : « Exacuunt alii vallos furcasque bicornes ».

730. TRIBVNAL Fides et Concordia conscendunt tribunal.

732. IN SPECVLAM specula est locus excelsus unde hostium adventus potest praevideri, speculum vero instrumentum muliebre per quod se mulieres inspiciunt.

734. HVNC SINCERA Fides et Concordia inviolabiles sorores omnes ad se fideles roborando convocant.

737. PAR S. C. Q. SIBI id est Fidei et Concordiae, quia Fide et Concordia Sancta Aeclesia [1] constat.

739. CONSPICVAE id est aperte, manifeste scilicet ubi ab omni videri possent.

743. TENTORIA *a*) idem sunt et papiliones a tendendo dicta. *b*) APERTIS id est reseratis ad fiduciam Fidei et Concordiae gavisi currentes clausa omnia aperiunt [2], abscondita (29 r°) patefacta revelantur sicque [3] societas individua solidatur.

746. AVRIBVS INTENTIS Virtutes victores cum gaudio expectant quid Fides atque Concordia iubeant.

748. ADDERE LEGEM vel revelare : addere quia fortassis et [4] aliam legem habebant.

755. RVRE id est villis : rus enim villa dicitur : unde rusticus.

764. HOMINI *a*) ut hominem Deo reconciliaret. *b*) MEDIVS id est mediator quia ipse verus est Deus et verus homo. *c*) Ἰησοῦς [5] Graece, Latine Ihesus per I et H scribitur a nobis.

766. VNVS VTRVMQVE sic Dominus dicit de Apostolis ad Patrem (cf. Johann. XVII, 21) : « ut ipsi sunt unum sicut et nos unum sumus » id est una caritate.

767. MENTISQVE ET CORPORIS id est ut caro Spiritu non sit contraria nec Spiritus carni.

1. aedesia. — 2. apiuntur. — 3. siq. — 4. ad. — 5. Isus.

770. PERICLI id est belli quia bellum mater est pacis, quia superato hoste, pax sequitur.

772. NIL EST PLACITVM *a*) hoc est quod Paulus dicit (I Cor. XIII, 3) : « Etsi distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero nihil mihi prodest. » *b*) Et notandum quod duo hic iunguntur dimitio et distributio facultatum, atque martyrium, quia dimissio facultatum maxima virtus est quamvis pauci faciunt et ideo aliud quodammodo est martyrium.

777. BILE pro ira : bilis est nigrum fellis et in felle sedes irae consistit.

779. *Emula* FRATRI aemula pro invidia ponitur, set hoc distat inter emulationem et invidiam : invidia est siquem in aliqua dignitate vel gradu constitutum videns[1] in corde tuo eum reprehenderis dicens illum esse tali sublimitate indignum ; *emulatio* vero, si duobus aliquam rem simul appetentibus unus eam adquisierit, alter autem impetrare nequiverit. *b*) Ponitur in bono, ut Apostolus (Paul. I ad Cor. XII, 31) : « Emulamini carismata meliora », id est imitamini.

785. NVLLA HOSTIA CHRISTO hoc est quod dicit Apostolus (Paul. ad Ephes. IV, 26) : « Sol non occidat super iracundiam vestram » id <est> ut ante solis occasum ad pacem redire festinemus : sed melius de vero sole iustitiae, hoc est de Christo hoc intellegendum ; ne per nostram iracundiam nobis occidat id est a nobis recedat.

790. NOSCERE[2] MIXTVM *a*) unde Dominus in Evangelio dicit (Matth. VII, 15) : « Adtendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. » *b*) Dedit ergo Deus simplicibus illorum dolos praevidere, unde et sequitur (Ib., ibid., 20) : « A fructibus eorum cognoscetis eos » id est a veritate.

793. CRVDA id est crudelia : id est ad hoc se veste

1. uiden. — 2. nosse[2].

induit Innocentiae ut facile has simplices valeat decipere.

799. TVM GENEROSA FIDES Fides de firmitate sua et de sospitate[1] Concordiae caeteras Virtutes confirmans manifestat <se> omnem sollicitatem eorum impugnare sed non expugnare posse.

802 ss. Fides sine Concordia nihil valet, Concordia vero sine Fide nihil proficit.

806. BELLIGERI *a*) David rex voluit aedificare templum Domino sed quia vir sanguinum erat, id est bellicosus a Domino prohibitus est dicente ad eum[2] (vid. I Regg. 7, etc.) : « Tu non edificabis mihi templum quia vir sanguinum es. sed filius tuus qui egredietur[3] ex lumbis tuis ipse aedificabit mihi domum. » *b*) Filius ergo eius id est Salomon qui interpretatur pacificus eo quod in diebus suis pacem habuerit adeo ut et reges munera transmitterent, templum Domino in Ierusalem construxit.

813. ALTARIBVS ARCA Moyses tabernaculum Domino in deserto construxit quod de loco ad locum cum arca Domini ferebatur per quod praesentis temporis aeclesia designatur quae in hac vita locum stabilem non habet : templum vero quod a Salamone constructum in uno loco id est in Ierusalem (29 v°) stabile mansit, futuram aeclesiam significat quae in futura vita id est in Ierusalem caelestem stabilis <erit>.

816. TERRIGENAS id est gigantas, terra genitos : γῆ[4] enim terra dicitur.

819. INTRET INORNATAM hinc Dominus in aevangelio (Matth., XII, 43) : « Cum imundus spiritus exierit ab omine » et coetera ; hoc est quod dicit (818) PVRGATI CORPORIS VRBEM : quod vero sequitur (ibid., 44), « invenit eam vacantem » id est virtutibus vacuam, quod subdit INTRET INORNATAM.

823. HAEC VBI DICTA Fides et Concordia ad construendum templum Domini mensuris dignis procurant.

825. *Metior metiris* facit praeteritum mensus sum, *metor*

1. sospite. — 2. ium. — 3. egrederet[2]. — 4. ge.

vero metatus sum : unde « castra metati sunt » id est castra posuerunt vel elegerunt.

826. ARVNDO arundinem vocat virgam auream vel calamum sive perticam[1] unde area mensuratur.

829. MVTILET *a*) frangat vel breviorem ostendat. *b*) SEMETRA id est semimensuras. *c*) μέτρον[2] Graece mensura latine.

830. AVRORAE id est oriens unde aurora surgit.

831 ss. Sanctae Virtutes coelestem Ierusalem edificant : ab oriente porte tres ad occasum III, ad aquilonem III porte constituuntur.

833. Tres portae orientales eos significant qui statim fide Sanctae Trinitatis[3] accepta, ducuntur ad regnum ut sunt illi qui post baptismum cito moriuntur : australes eos qui in fervore fidei sunt positi; occidentales vero qui post longas passiones et labores tormentorum vocantur ad Deum; aquilones aetiam eos qui frigus temptationum atque vitiorum sustinuerunt.

834. NVLLVM ILLIC illa domus non de saxis fuit aedificata sed de lapidibus pretiosis id est gemmis.

837. LAPIS *a*) qui fertur esse in vestibulo per quem templum penetratur Christum, significat qui dixit (Johan., X, 9) : « Per me si quis i. s. ». *b*) VESTIBVLVM autem vel a vestiendo dictum eo quod ianuam vestiat vel a Vesta[4] dea, cui omne initium consecrabant; unde et nubentes ingredientes domus limen pede non tangebant quia Vestae erat consecratum.

840. SPIRITVS HIS TITVLIS id est ter quaternis nominibus Apostolorum quia per doctrinam Spiritus Sancti gratia in mentibus nostris requescit.

843. *Quadra vis* quadram vim animae quatuor virtutes principales vocat id est prudentiam iustitiam fortitudinem temperantiam quibus anima vegetatur.

845. SEV PVEROS quatuor aetates hic introducuntur quasi IIII vigiliae quibus convertuntur ad Deum vel

1. ptica. — 2. metron. — 3. tnitris. — 4. ueste.

ab hoc saeculo assumuntur : prima est pueritia, quae et pro infantia ponitur, unde de Domino legimus (vid. Luc., II, 11) : « Puer natus est nobis », cum infans sit natus; secunda, adulescentia vel iuventus quia et adolescentia pro iuventute aliquando invenitur, sicut Salomon dicit (Eccl., XI, 9) : « Laetare, iuvenis, in adolescentia tua » ; tertia, senectus; quarta, aetas decrepita.

850. DVODENIS *a*) duodenarius numerus ex partibus septenarii numeri conficitur, id est ex ternario et quaternario : nam III et IIII septem ex se conficiunt. *b*) Sive enim ternarium per quaternarium vel quaternarium per ternarium multiplices (vel quater <ter> ni vel ter quaterni), XII generant. *c*) Et ideo Apostoli in duodenario numero eliguntur ut per eos Fides Sanctae Trinitatis in quatuor mundi partibus diffunderetur.

851. GEMMARVM scilicet quibus parietes templi construebantur.

852. ANIMASQVE COLORVM id est ita illae gemme diversis coloribus lucebant ut animas vivas habere viderentur.

854. *Crisolitus* gemma est aurei coloris per totum (30 r°) : χρυσόν[1] enim aurum, ὅλον[2] totum dicitur.

855. *a*) *Saphirus* est ceruleus cum purpura habens pulveres aureos sparsos. *b*) *Berillus* est gemma viridis similis smaracdo[3] sed cum pallore cuius splendor non excitatur nisi in sex angulis poliatur. *c*) Haec in India gignitur et illius regionis regibus multum est mirabilis.

856. NITOR MEDIVS splendor chrisoliti in medio constitutus est.

857. *Hinc calcedon a*) a Calcedonia provincia ubi oritur. *b*) *Iacinctus* ex nominis sui fulgore[4] vocatur, coeruleum colorem habens qui nec clarus est nec multum obtunsus luce purpuraque refulgens, sereno perspicuus atque gratus est, nubilo coram oculis evanescit.

858. Κυάνεος[5] est gemma lazureum habens colorem id est

1. crison. — 2. olon. — 3. maracdo. — 4. Leg. flore. — 5. Ci anea.

purpureum[1] cum aqua : cereum enim interdum[2] colorem nitore purpurae interdum et punctulis intermicantibus auratis pulvisculos varians.

860. *Sardonice a*) *sardonix* ex duorum nominum societate vocata : est enim ex onicis candore et sardo. *b*) Onix enim permixtum habet candorem in similitudinem unguis humani : Greci enim unguem ὄνυχα[3] dicunt. *c*) Constat autem sardonix tribus coloribus nigro subterius, medio candido. superius mineo. *d*) *Ametistina* ametistus purpureus est permixto violatio colore et quasi rosae nitore et leniter quasdam flammulas emittens. *e*) Iaspis de Greco in Latinum viridissima gemma interpretatur ; ias quippe viride pinna gemma dicitur. *f*) Est autem smaragdo[4] similis, sed crassi coloris.

861. *Topation* topation ex virenti genere omnique colore resplendens : topazion autem dicta quasi τῶν πασέων[5] id est omnium colorum.

862. SMARAGDINA *a*) smaracdus a nimia viriditate vocatur unde herbas virentes frondesque exsuperat inficiens circa se viriditate repercussum aerem et quae ei adherentia. *b*) GRAMINE VERNO veluti herbae vernali tempore uirentes[6].

865. *a*) *Chrissoprasse* ex aureo et prassino colore; chrissoprassus est Indicus colore porri succum referens aureis intervenientibus guttis, unde et nomen habet. *b*) χρυσόν[7] enim aurum, πράσον[8] porrum.

868. AT DOMVS ista domus quae VII columnis sustentata esse dicitur, carnem Christi significat quae septiformis Spiritus cooperatione in utero virginali formata est : vel etiam VII aeclesias Asiae quibus Iohannes[9] Apostolus et Evangelista scripsit id est Ephesum et Smirnam et reliqua. (Apoc., I).

869. *Cristalli a*) cristallus resplendens et aquosus colore traditur quod nix sit glatie[10] durata per annos. *b*) Unde et in septentrionum Alpibus ubi nec estate <est> sol fer-

1. purpuerum. — 2. int². — 3. onichen. — 4. smarago. — 5. tonpazion. — 6. urentes. — 7. chrison. — 8. prasson. — 9. $\overline{\text{IO}}$ *supra*. — 10. Glatiae.

ventissimus, invenitur ideoque ipsa diuturna et annosa duritia reddit hanc spetiem quae cristallus dicitur. *c*) Solinus tamen in Collectaneis (p. 88, 10-14) dicit hunc lapidem etiam in calidissimis[1] regionibus inveniri et ideo de aqua gelata <non> factum eum esse dicit, sed nostri de glatie factum dicunt. *d*) ALGENTIS id est frigidi ; secundum eos loquitur qui cristallum de aqua congelata dicunt esse factum.

870. CALCVLVS est lapillus rotundus adque durissimus et omni puritate lenissimus.

872. *Conca* est genus piscis[2] marini cuius dorsum[3]....

873. *Margaretum a*) margareta prima est candidarum gemmarum quam inde margaritam aiunt vocatam quod in conculis maris hoc genus lapidum inveniatur. *b*. Inest enim in carne cocleae calculus natus sicut in cerebro piscis lapillus gignitur : aut[4] de celesti rore quem certo anni tempore cocleae auriunt.

886. PVBESCENTE (30 v°) *a*) id est florente, crescente. *b*) Pubere et florere reciproca sunt, dicimus enim florentes iuvenes et pubentes[5] herbas.

888. REDDIMVS AETERNAS Prudentius facit epilogum id est clausuram sermonis.

902. BELLA HORRIDA FERVENT quia « caro concupiscit adversus Spiritum, Spiritus autem adversus carnem » et coetera (Paul., ad Gal., V. 17).

EXPLICIT[6] LIBER PSYCHOMACHIAE[7]

Hic statuit metam <Clemens> Prudentius auctor
Laudans Virtutes quas Sanctos decet habere,
Excutiensque piis dementibus Vitia cuncta.

1. callidissimis. — 2. pisci. — 3. Lacuna non indicatur. — 4. au. — 5. pubentas. — 6. Explic. — 7. Sycomachiæ.

I ADV. SYMMACHUM PRAEFATIO

INCIPIT CONTRA SYMMACHVM [1]

1. Symm. Praef.

a) Metrum Asclepiadeum : scanditur sicut Inventor rutili [2], dux bone (Cath., V). *b*) Hos duos libros composuit Prudentius contra Simmachum qui fuit ex Senatoribus [3] eloquentissimus quidem, sed paganissimus. *c*) Scripsit autem librum de repetenda ara Deae Victoriae.

5. CERIMONIAS [4] *a*) id est leges, a Cerere Dea dictae. *b*) *Cerimoniae* dicebantur apud antiquos sacra Cereris. *c*) Ceremoniae [5] autem dicunt a carendo eo quod his mortales quique carent.

12. *a*) Κύμβη [6] dicitur Graece, Cumba Latine. *b*) *Pax* quando est adverbium comicum blandientis id est apage sis [7], corripitur, quando autem nomen proditur. (Cf. p. 83, 9-11).

30. INHORRVIT id est expavit velud aliis videbatur sed nihil horrebat.

31. LIVIDA id est plumbea vel nigra vel livore corporis plena.

37. ASPIDEM aspides [8] vocat omnes minores serpentes.

38. COLVBER *a*) dicitur eo quod colat umbras vel quod in lubricos tractus flexibus sinuosis labatur. *b*. Nam

1. SYMACHUM. — 2. rutuli. — 3. enatorib. — 4. cerimonias. — 5. cerimoniae. — 6. cymba. — 7. gis. — 8. *supra*.

lubricum dicitur quicquid labitur dum tenetur, ut piscis, serpens.

45. HIEMEM *a*) hiemes persecutiones graves vel infidelitates intellige. *b*) Allegorizat quid significaverat illa tempestas quam passus est Paulus (Act., XXVII, 14-44), quid dextra manus eius, quid morsus serpentis et coetera.

52. OCCVLTABAT ENIM Constantinus primus Christianus imperator omnia idola Romanorum et aram Deae Victoriae destruxit sed eo mortuo et Iulio regnante, Simmachus restituendam esse dicebat ipsam aram.

54. *Involuclis a*) id est involubilitatibus vel in sua clausura. *b*) Involucla dicuntur involutiones vestimentorum, sive alicuius rei.

60. REMIGIO id est adiutorio sacrae praedicationis.

79. IN CVTE SVBSTITIT id est parum stetit id est extrema quia paucos vulneravit.

80. SALVATOR G. R. P. orat Prudentius pro Symacho ne pereat aeternis ignibus.

87. INDOCILIS indocilis dicitur qui non potest doceri.

I. Symmachus.

2. PERICVLA MORBI id est idolatriam et culturam deorum et caetera.

4. IN ARCE *a*) id est in dignitate positus. *b*) DOLORES INMEDICOS id est inmedicabiles.

7. VETERNO id est pessimo et antiquo morbo vitiorum.

15. SVMMA CVTE id est ne exterius videretur aliquis iustus et intus id est anima vitiis sordesceret.

17. DE PVRE PERESAM de praepositio est id est de solubili custodia ; nam pus quando est indeclinabile virus significat, alias pro custodia ponitur.

22. *Illic* TYRANNORVM id est imperatorum caeterorum : illi quidem omnes de temporalibus curam gesserunt quomodo res publica proficeret ; hic vero de aeternis et semper mansuris rebus quomodo, scilicet, animae salvarentur sollicitus fuit.

32. VEL REGNARENT SAPIENTES hoc et Boetius in exemplum ponit dicens (Cons. Phil., I, 4, 15) : « Beatas fore res publicas si eas vel studiosi sapientiae regerent vel earum rectores studere sapientiae contigissent ».

39. VTQVE SVPERSTITIO *a*) id est idolatria. *b*) Superstitio dicitur quasi superstantium id est coelestium rerum cultus; vel a superstitibus id est vetulis (31 r°) vel aniculis quae diu vivendo delirant.

42. SATVRNVS dicitur Graece Φαίνων [1].

45. LATEBRAS id est latibula, receptacula.

48. LATIVM *a*) dicitur Italia vel quod latuit ibi Saturnus vel quod latet inter montes. *b*) Emporium [2] est mercatum. *c*) Mioparo huius mioparonis genus est naviculae. *d*) Cumex uius ciminis scriptum genus est muscae quae tipula vocatur.

50. PROCVDAM [3] excudendo producam id est formando : cudo enim formo significat.

51. SATVRNIA VOBIS unde Saturnium oppidum dictum est quod Saturnus aedificavit.

52. VOS NEMVS nemora iuxta aras deorum plantabantur.

53. NAM CAELO GENITVS Saturnus origo deorum a paganis [4] designatur : hunc Coeli patris virilia abscidisse dicunt quia nihil coelo de seminibus nascitur.

56. ET EQVINA LIBIDO Saturno quondam concumbente cum Fillira supervenit Ops [5] uxor eius at [6] ille ne deprehenderetur versus est in aequum et hinniens coepit fugere: hinc dicit EQVINA [7] LIBIDO.

57. TVSCIS id est Italicis : Tuscia enim pars est Italiae.

58. ADHINNIVIT id est stupravit : dicendo adhinnivit respexit [8] ad equum.

59. HABITATOR [9] *Olymphi* Iuppiter Olimphi montis habitator fuit in cuius summitate postea altare situm est in honore ipsius.

1. fenon. — 2. Eporiū. — 3. Producam. — 4. pagis. — 5. opi. — 6. ut. — 7. aequina. — 8. rexpex̄. — 9. Habitatoria.

61. NVNC BOVE SVBIECTAM *a*) id est aliquando sicut fecit ad Europen. *b*) Europa Agenoris filia fuit quam Iovis in bovem conversus ab Africa rate Cretam [1] advexit : cumque eam vitiasset illic pro premio stupri tertiam partem orbis ex eius nomine appellavit [2].

63. IMMORIENTIS *a*) id est valde morientis. *b*) Oloris id est cigni qui moriens dulcissime canit.

64. VIRGVNCVLA FERRET id est Leda, quam in cignum conversus Iuppiter vitiavit.

68. EXCIPIENTIS *amice a*) id est Diane. *b*) Acrisius rex Diane pater fuit qui turrem aeneam sine aliquo ostio ad conservandam illius castitatem, ne a Iove stupraretur, construxit; sed ille vitiare eam aliter non valens in imbrem aureum conversus intravit per tegulas sicque adamatus ab ea illius coitum obtinuit. *c*) Ubi intellegitur mulierum pudicitiam pro auro facile corrumpi.

70. CATAMITVM *a*) id est Ganimeden quem rapuit Iovis ad turpes usus. *b*) Κατάμιτος [3] Graece, succumbens Latine. *c*) Nam Iuppiter proelium habuisse contra Troum patrem Ganimedis fertur et eo interfecto filium eius ad turpes usus rapuisse : aquila autem eum tulisse fingitur quia inago eius in Iovis vexillo depicta habetur.

72. QVOD SECLA VETVSTO antiqui per metalla sua tempora distinguebant dicentes sub Saturno aurea [4] secla, sub Iove argentea fuisse, deinde aenea et coetera metalla.

81. DIAE RATIONIS *a*) id est divinae vel generosae. *b*) Dia enim generosa vel nobilis dicitur.

82. NEBVLONIS *a*) id est deceptoris. *b*) Nebulones praestigiorum nebulis inretitos [5] vel inludentes aut occulte malignantes dicimus.

85. RIGIDOS id est rusticos, fortes.

87. Mercvris M. *a*) Mercurius sermo interpretatur : ideoque Mercurius [6] quasi medius currens dicitur, eo quod inter homines sermo medius currat; furti quoque magister esse fingitur quia sermo animos audientium

1. cretretā. — 2. 61 post 63. — 3. Catamit. — 4. aureo. — 5. inrecitos. — 6. mercuri.

fallit. *b*) Virgam etiam tenere dicitur qua homines mortificat et vivificat quia oratorum sermo alios dampnat aliosque liberat. *c*) Serpentes praeterea ex eadem virga dividit quia bellantes ac dissidentes interpretum orationibus sedantur. *d*) Unde et legati pacis caduceatores vocantur.

88. FVRES Ἀπόδειξις[1] dicitur Graece.

89. THESSALICAE MAGIAE pro magicae artis : in Thessalia enim plurimum magi reperiuntur.

92. RESIGNASSE *a*) id est iterum aperuisse[2] vel resoluisse. *b*) Resignare est aperire sive resolvere (31 v°) unde et resignatas epistolas legimus id est apertas vel solutas.

93. PENITVSQVE LATENTI alias vivificat alias interimit.

94. *Caho a*) id est confusioni inferni. *b*) AD VTRVMQVE PERITVS id est ad mortificandum et ad vivificandum.

95. CRIMINE scilicet mortificandi et vivificandi.

96. NAM MAGICO sicut legitur mulier pitonissa Samuelis animam excitasse.

101. *a*) ALIGERIS id est alatis. *b*) LEVES[3] id est tenues[4] : calciamentum etenim Mercurii petasum vocabatur id est volatile. *c*) Nam πέτομαι[5] Graece volo dicitur Latine.

103. NVMAE PRAEFVLGET *a*) Numa rex Romanorum post Romulum[6] secundus regnavit. *b*) Arx autem dicitur pars excelsior urbis atque munita : nam loca tutissima urbium ab arcendo id est repellendo hostes arces[7] vocantur, unde et arcus nominatur.

104. STRENVVS *a*) id est agilis, ingeniosus. *b*) DOMINVS id est Priapus : nunc enim de Priapo loquitur.

105. MEMORABILIS id est praeconabilis, laudabilis.

107. SALICTA id est loca ubi salices sunt.

1. apodixis. — 2. aperisse. — 3. Tenues. — 4. leues. — 5. peto. — 6. remulu. — 7. artes.

111. *Hellespontus* civitas est in Lamsaco insula de qua iste fuit.

113. SINVM quando vas significat neutri generis est et producitur si cum vero gremium significat corripit et est masculini generis[1].

114. VINETA *a*) sunt loca ubi vites nascuntur et dicta vineta quasi viteta. *b*) SABINI id est Romani, quia Sabini propinqui sunt Romanis.

115. VISERE RAMO ramum gerebat et falcem salignam unde terrebat aves[2].

116. MOLLIS PVERI *a*) scilicet Hilae. *b*) Hilas fuit quidam puer amasius Herculis quem secundum fabulam nimphae rapuerunt et ab ipso Hercule diu quesitus est, sed re vera in aquam caecidit et sic mortuus est.

117. IN TRANSTRIS *a*) in sedibus navis. *b*) IACTATA[3] id est fatigata naufragio. *c*) ARGO est nomen puellae quam vitiavit Hercules in navi, unde et ipsa navis Argo dicta est.

118. NEMEA SVB PELLE id est sub habitu virtutis vel sub pelle Nemei leonis quem Hercules interfecit.

120. NVNC SALIIS *a*) id est exilitionibus, vel sacerdotibus quia sacerdotes Herculis Salii vocabantur ab exilitione. *b*) Πεῖνα[4] Graece fames Latine : hinc Pinarii dicti sunt sacerdotes Herculis quod aliis ministrantes famem patiebantur et inde Pinaria familia.

121. AVENTINI Aventinus mons dictus est ab adventu avium : nam ex[5] Tiberi fluvio emergentes excelsa ipsius montis petunt.

123. LASCIVIT id est turpiter vivit, vel insanit, superbit, exultat.

127. MVSTOQVE[6] FALERNO *a*) id est novo vino. *b*) Falernus est mons Campaniae ubi vinum optimum nascitur, sed pro optimo ponitur vino sicut Cecubum a loco dicit Horatius (cf. Carm., I, 37, 5).

128. FERARVM *a*) id est equorum vel tigridum

1. 113 post 114. — 2. 115 post 118. — 3. Lactata. — 4. Pina. — 5. aex. — 6. Multoq.

quae dicuntur trahere currum eius. *b*) RORANTIA id est rore stillantia.

129. *Bacho* CAPER sacrificia aliquando a simili fiunt, aliquando a contrario : a simili, quando Tempestati nigram ovem, Serenitati albam imolamus : a contrario, cum Cereri et Libero imolatur caper qui est illis contrarius.

131. QVI BROMIVM Bromius minister fuit Liberi Patris id est amasius.

134. *Menadas* id est quae et Bachae : ipsae sunt evantes ministrae Liberi Patris.

135. CHORO scilicet Menadum et Satirorum[1].

136. IN *littoris* ACTA *a*) id est loca arenosa vel amoena. *b*) Nam ἀκτή[2] dicunt Graece litus : hinc acta dicuntur loca amoena.

139. *Neeram* id est sic vocabatur scortum illut quod adduxit super Ariadnem uxorem suam.

142. MOX *Ariadneus a*) id est corona illa. *b*) Ariadnes uxor fuit Liberi quam cum acciperet attulit ei Vulcanus coronam in qua erant VII lapides quam Liber ob amorem[3] Ariadnae inter sidera collocavit.

144. MERETRIX id est corona illa meretricis.

151. SACELLO id est in templo idolorum.

154. PIETATIS IMAGO id est imago falsae[4] pietatis erat cum dicebant : « hos coluerunt patres nostri et ideo similiter nos colimus ».

156. TVM QVIA id est etiam : scilicet processit mos patrius in longum aevum.

158. VRNAS id est sepulchra mortuorum.

159. INDE PVELLARVM id est propter hoc : puelle cum audiebant ita egisse deos, ludebant (32 r°) et amplius ad libidinem excitabantur.

160. IVGALIS id est matrimonialis, id est legalis.

163. DIVORVM id est principum, imperatorum.

164. ATQVE VT R. subaudis o pauca Roma.

165. *Semideam* ἡμιθέαν[5] Graece.

1. satitorum. — 2. acte. — 3. amore. — 4. fase. — 5. emithea.

167. ILLE *a*) scilicet Mars. *b*) SACERDOTEM id est Ream quae et Illia vel Silvia, filia Iulii.

168. *Impar* VTRIQVE id est Marti et Veneri quia cum mortalibus concumbebant.

169. MORTALIS OBIRE *a*) scilicet Anchisae. *b*) Asinteton figura est id est coniunctione carens[1].

171. VIRGINIS *a*) id est Coronae vel Iliae : Corone nominativus vel Corones genetivus, unde et Coronides dictus Apollo. *b*) Ista enim fuit uxor Apollinis qui viro induxit rivalem, quod nontiatum est Apollini per corvum, qui antea albus erat. *c*) Fecit eum nigrum et illam affixit sagittis : qua mortua, ab ea abstractus est Esculapius et factus est peritissimus medicus.

173. *Privatus vir* dicitur qui[2] suae tantummodo possessioni[3] praeest et non curam gerat rei publicae.

175. VLVA est herba palustris.

178. NE STVPRVM id est cum diceret matrem concubuisse cum ea.

181. CAMPO ROMVLEO id est in Campo Martio, in honore Martis.

182. *a*) *Capitolium* Romae vocatum eo quod fuerit Romanae urbis et religionis caput summum. *b*) Alii dicunt cum Tarquinius[4] Priscus Capitolii fundamenta aperiret, in loco fundamenti caput hominis literis Etruscis notatum invenit et proinde Capitolium appellavit.

185. NVDVM id est pulchrum et clarum id est statuam nudam quia nuda depingitur ob signum pulchritudinis eius.

186. ACCIRENT *a*) id est ut Romam venirent. *b*) *Erycino* scilicet ab : proprium nomen montis ubi colitur illa.

187. IDA silva est ubi colitur[4].

188. DE VIRIDI *a*) id est viridem dicit quia viret olivis. *b*) ORGIA id est sacrificia Liberi. *c*) NAXO una est de VIIIJ Cicladibus id est insulis. *d*) κύκλον[6] dicunt Graeci rotundum, in rotundo enim navigat si quis ad

1. 169 b iteratur in margine. — 2. quae. — 3. possessione. — 4. torquini'. — 5. 187 post 185. — 6. ciclon.

eam venerit. *e*) *Samolium* poterium. *f*) ποτήριον[1] Graece calix vel aliquod vas dicitur, samolium autem diminutivm est a Samo insula in qua primitus fictilia vasa reperta sunt.

193. ANCVS N. N. Tullus est, qui et Tullius Hostilius: nomina sunt imperatorum.

196. *Asilum* *a*) locus est refugii : cum enim Romulus adhuc esset pauper fecit sibi <asilum> ut illuc omnes rei confugerent et ex illis auxilium caperet. *b*. Hinc Iuvenalis (Sat. VIII, 274-75) : « Maior quique tuorum Aut pastor fuit aut illud quod dicere nolo » fur scilicet et homicida.

203. *a*) Mola genus erat sacrificii ex FARRE et sale. *b*) VAGITVS hinc Vaticanus deus dicitur qui vagitibus praeest. *c*) *Cedis* scilicet animalium quae sacrificabantur.

204. LARES *a*) id est domus. *b*) Antiquitus lares ungebantur, inde etiam uxores dictae quasi unxores.

205. CVM DIVITE[2] CORNV Fortuna depingitur in dextra manu cornu ferre plenum omnibus bonis : Hercules enim fertur habuisse proelium cum Centauro et abstraxit cornu illi quod postea nimphae accipientes omnibus bonis repleverunt et inde ubicumque voluerint potestatem habent largiendi.

206. LAPIDEM Terminum deum dicit.

210. DE RVPE id est de statua Fortunae.

211. *Esse* PETENDVM scilicet ut peteret ab ipsis diis.

212. *Numquam*[3] O. A. id est numquam recoluit se rationabilem esse et non debere tales deos colere.

214. PRIVATOS id est domesticos : privatis diis agni ovesque immolabantur, publicis vero, id est Iovi caeterisque magnis aliis, tauri animaliaque magna offerebantur.

218. AC SACRAM *a*) id est postquam ; Sacra Platea est Romae famosissina, quia per illam homines sacra

1. potiū. — 2. dunte. — 3. numqua.

celebraturi ibant ad Capitolium. *b*) MVGITIBVS scilicet animalium quae immolanda erant.

221. ATQVE VRBIS VENERIS id est templum Veneris et Romae Deae pari altitudine se extollebant.

226. GADIBVS *a*) Gadis insula est unde istae dicuntur. *a*) SPOLIATIS Geryone[1] ibi interfecto.

227. FRATRES id est Pollux et Castor.

229. NOCTVRNI EQVITES quia forte (32 v°) adhuc vivi nocte aequitabant : vel propter duas stellas dicit quae dum <moventur>[2] videntur aequitare.

230. RETINENTE propter sonitum aeris.

234. PICVS aliud est Picus et aliud pica : Picus rex fuit Italiae quem percussit filia Solis virga et versus est in maculosum picum, de quo Virgilius (Aen., VII, 191) : « Fecit avem Circe sparsitque coloribus alas ».

235. EPOTVM *a*) id est datum a coniuge. *b*) SPARSVS id est sparsum habens.

237. IANO DE MENSE id est quia mense Ianuario Iano litabatur.

239. AGITANT id est frequenter agunt.

243. INCONSVLTA id est inscia sine consilio.

245. DOCILI AETATE, id est a primum enim homines agrestes et stolidi fuerunt.

251. *Libia* id est uxor Augusti. (Haec adnotatio ad vocem quae est « Livia » jam evanida et glutinatoris cultro partim accisa in summo f° 32° verso et ad oram apposita est :)

Uxor Octaviani <quae>... consumpsit ille filios quia cum omnibus concumberet. Nam Tiberinus qui tum regnavit, privignus eius fuit. Igitur cum interrogaret<ur> a quodam quare cum animalia non omni tempore, sed certis temporibus coeant et illa omnibus horis concumberet, respondit : « animalia non ratione nec voluntate sed natura reguntur ; ego autem quia capax sum rationis voluntate agor ». Et cum iterum percunctaretur a quodam

1. nerione. — 2. ex Isone et Gl. P. supplevi.

quare filios parere non posset, dixit : « nolo vectorem habere ». Nam in plena navi vectorem dicit Octavianum maritum suum quem vehebat, plenam vocat navem ministrum... m tempus quia muto (?) vel fine mulieres semper incipiunt. Livia vero nullum... (a)liis temporibus (s)uper concubitu... parans tali(?) tempore cum (s)uo marito concumbebat ut... filius <ab> eo filios ac(ciper)et.

(Hanc notam in margine f^i q^i secti inveneris.) Yacinctus formosus puer amatus est tam a Borea quam ab Apolline : qui cum magis Apollinis amore laetaretur, dum exercetur disco alarum ab irato Borea eodem disco est interemptus et mutatus est in florem sui nominis.

252. SORTITA CVBILE cubile vocat templum Iunonis quod iuxta templum Iovis erat eo quod uxor illius putabatur.

256. PRONVBA *a*) quasi iam gereret ipsum puerum : ita iactabat se apud virum. *b*) GENIALE id est voluptuosum id est nuptialis lectus[1].

257. IAM SPONSVS reprehendit imperatorem quod non puellam sed adulteram etiam gravidam sibi asciverit uxorem.

259. VITRICVS id est patria sunt Octavianus[2]. (?)

261. FESCENNINA sunt carmina turpia nubentium id est cantica nuptialia.

266. *Flore* id est deae : ministrae sunt Veneris, inde Floralia.

271. *Antinous* amasius[3] fuit Adriani regis quem pro pulcritudine tanto amore dilexit ut deum constitueret et eius nomine templa et civitates dedicaret.

272. NVNC DIVI id est Adriani : omnes enim imperatores Romanorum divi vocabantur[4].

273. IN GREMIO *a*) scilicet ipsius imperatoris. *b*) SPOLIATVM id est castratum, eviratum.

274. ADRIANIQVE[5] GANYMEDEM[6] id est ipsum

1. 256 b post 252. — 2. Propono : patrinius (Cf. C. G. L. IV, 191, 24) fuit Oct. — 3. Iteratur. — 4. 272 post 273. — 5. Hadrianiq. — 6. ganimedē.

Antinoum vocat Ganymedem quia sicut Ganymedes fuit amasius <Iovis>, ita Antinous Adriani.

295. CRASSIS PARTIBVS id est in remotis : crassas partes vocat austrum et aquilonem, austrum pro nimio calore, aquilonem pro nimio frigore.

303. *Driades* sunt deae silvarum, Amadriades quae cum arboribus nascuntur et pereunt.

320. CIRCVLVS *a*) scilicet solis. *b*) ET FLAMMAS quamvis placeat.

321. NORMAM id est lineam, terminum.

322. NVMNE[1] scilicet si terrae circulus minor est.

324. CIRCINVS pro circinnus : circinus est proprie instrumentum quo rota circuli formatur, quem etiam circinnum dicimus.

326. QVI PRAESIDET id est dominatur et superfertur.

328. PLAGA CERTA C. id est australis : nam septentrionalem numquam transcurrit.

329. AVT SVBIT ORTV id est ascendit ab oriente.

330. AVT RVIT O. id est descendit ab hora nona.

332. AVT SVB NOCTE id est subtus terram scilicet ad ortum.

333. REVOCARE[2] RETRORSVM id est reflectere scilicet ab occidente ad orientem.

334. HIC ERIT *a*) scilicet sol : yronicos. *b*) LEGE SVB VNA scilicet oriendi et occidendi.

336. HOMINI *a*) quia habet liberum arbitrium quod sol non habet. *b*) FLECTERE id est de bono ad malum vel de malo ad bonum.

337. LICITVM EST *a*) scilicet a Deo per liberum arbitrium. *b*) DEXTRO id est bene agere.

338. DECVRRERE id est pravis operibus insistere.

344. HOC SIDVS id est sol refertur invehi curru.

345. *Commenti* *a*) scilicet sunt id est adinvenerunt homines. *b*) RADIOS id est XII radios fertur in capite habere propter XII menses vel XII horas diei.

1. Numine. — 2. Reuocat.

346. *Faleras* id est ornamenta equorum.

347. *a*) *Aurichalci* vel ORICHALCI : auricalcus dicitur auri es ; nam χάλκος [1] Graece aes vocatur. *b*) Vel si dicas *oricalcus*, montis aes interpretatur, eo quod in montibus reperitur. *c*) ὄροι [2] enim, montes interpretantur.

348. *a*) *Ius erunt* vel IVSSERVNT scilicet manus artificum. *b*) POLITA scilicet supradicta ornamenta.

349. TRABEAS *a*) est vestis regalis [3]. *b*) EBVRNAM AQVILAM quam Romani in vexillo ad bellum gestabant quod alia signa regebat et ob hoc signum barbatum vocabatur. *c*) SELLAM C. in qua (33 r°) triumphans sedit.

350. CERNVAT [4] id est incurvat, inclinat.

351. *Aeripedum a*) id est velotium aerios [5] pedes habentium. *b*) SI FAS EST C. ut hoc imperator faciat.

352. NESCIA L. utpote aenea.

354. HOC TAMEN id est quia caelestis est Sol.

356. EVMENIDES furiae sunt infernales et interpretantur Bonae Lunae per contrarium.

359. Regina inferorum sterili vaca placabatur quia infernus nihil boni parit vel quia ipsa sterilis fuit.

361. NVNC BIGAS *a*) (quando vocatur Lucina id est Luna [6]) hoc propter Lunam cuius currum trahunt duo boves non quod tardior Sole currat, sed propter cornua. *b*) In inferno vocatur Proserpina (vid. 357).

363. ETIAM VOLVCRES id est veloces, a nunc etiam propter venationem hoc dicit : venari autem ideo Luna <dicitur> quia noctibus venatio pabulatur et luna nocitbus luceat quibus caprae pascuntur; tunc Diana vocatur.

364. TERQVE scilicet cum esset μονοειδής [7], διατομή [8], ἀμφίκυρτος [9] : id est septem figuras Luna habere dicitur id est μονοειδής [7] id est cornicularis, διατομή [10] quod est VIII id est medio sectilis, ἀμφίκυρτος [11] id est circularis, πληροσέ-

1. chalcos. — 2. ori. — 3. 349 a. iteratur ad oram. — 4. Cernua. — 5. acorios. — 6. quando-luna, *supra*. — 7. monoides. — 8. diathome in ras. — 9. Amsicircos. — 10. Diatome. — 11. amphicistos.

λήνον [1] id est plenilunium : similiter in decrescendo, ἀμφίκυρτος [2], διατομή [3], μονοειδής [4].

365. SVBLVSTRI [5] id est parum lucenti.

366. SVCCINCTA *a*) id est faretras [6] succinctas [7] habens. *b*) Spicula vocat CALAMOS id est sagittas.

368. MEGERAE id est una Furiarum, et est dativus : tres enim sunt Furiae infernales, Megera, Thesiphone et Allecto.

369. TRIVIAE *a*) id est Proserpinae deae infernalis. *b*) Trivia dicta eo quod tres habet potestates id est in Caelo et in Terra atque <in> Inferno, unde et Ecate dicitur id est centum habens potestates. *c*) SVB NOMINE DAEMON id est quocumque modo sit de picta [8].

370. AD AETHRAM id est cum dicis eam coelestem et colis.

377. OBRVIT scilicet ipse demon.

378. POTESTATI *a*) id est diis infernalibus. *b*) OPERTAE [9] id est tenebrosae, absconditae.

380. CVI CADIT *a*) id est ad cuius honorem. *b*) FVSVS id est interfectus, prostratus. *c*) De ludis dicit quos in theatro exercebant ubi se interficiebant et Plutoni deputabantur ; Plutoni [10] enim se commendabant ut puta [11] ad infernum descensuros.

381. HEV MALE *a*) aliquando cum magna pestilentia Romae orta fuisset, quendam privatum hominem demon allocutus est dicens deos aliter non posse placari, neque homines ab ipsa pestilentia liberari nisi teatra vel ludi in quibus gladiatores semet in sacrificiis deorum interficerent, construerentur [12]. *b*) Tunc Scipio Nasica et Cato caeterique nobiles prohibuerunt ut mortibus hominum pestilentia deleretur [13] : sed vulgi instantia illis nolentibus obtinuit ut ipsis ludis demones placarentur, unde aliquando magnus terrae hiatus XL diebus Romae <erat> quasi adhuc satiatus non esset, sed postea Marcus Cur-

1. Plenoelenos. — 2. amphicistos. — 3. Dutome. — 4. monoides — 5. Subluscri. — 6. faretratas. — 7. succincta. — 8. 369 c post 370. — 9. Optet. — 10. pluto. — 11. pute. — 12. construerunī². — 13. dedeleret².

cius[1] eques Romanus equo hiatum insiluit et postea clausus est quasi infernus satiatus esset. *c*) LVSTRATAE ROMAE putabant enim tali victima lustrare Romam id est purgare. *d*) *Flegethontia* id est infernalis : *e*) Flegetos est fluvius inferni igneus.

384. FVNEBRIS id est mortalis, plena funeris.

385. SPECTACVLA TRISTIA *a*) id est que tristitiam inferunt. *b*) Amphiteatrum in civitatibus fiebat et muro erat cinctum, teatrum vero extra civitatem ubi spectacula fiebant quoniam, θεωρῶ[2] video.

386. CHARON *a*) id est portitor inferni. *b*) IVGVLIS id est vulneribus.

387. *Inferiae* *a*) sunt sacrificia pro mortuis. *b*) SACRO id est exsecrando, exsecrabili[3].

391. CENSERE id est iudicare id est reges Romanorum gladiatorem et retiarium faciebant in theatro certare, in quo unus alterum occidebat et qui interficiebatur quasi videbatur litari pro salutate patriae.

392. SVBTERNIS una pars, infernalibus id est subterraneis.

393. EVOCAT scilicet (33 v°) ille imperator.

395. INCASSVM *a*) id est frustra. *b*) ARGVERE id est quae fiebant apud Tauricam. *c*) Ephigenia uxor Orestis fuit quae cum cerva Diane interfecta ad aram illius immolanda ducta fuisset; cuius miseratione erepta ad Tauricam regionem transducta est et ibi sacerdos illius constituta ubi peregrini immolabantur : postea Orestes frater illius furore arreptus a sua civitate expulsus suisque omnibus derelictus est, sed Pileas illius amicus ipsi per orbem terrarum frenetico discurrenti solus adhesit. *d*) Cumque pervenissent ad templum Dianae quod erat in Taurica regione, Ephigenia videns eos speciosos condoluit illis[4] dicens « Qui[5] estis? » : qui responderunt se esse fratres. *e*) At illa ne ambo simul interficerentur dixit « Eligite unum ex vobis qui immoletur. » *f*) At

1. crucius. — 2. theoro. — 3. exsecrabile — 4. Corr. ex illos. — 5. Qu.

illis inter se contendentibus quis illorum immolaretur et quis evaderet, Ephigenia recognovit fratrem suum et consilio inito illa nocte ambo fugerunt. *g*) Proinde illorum amicitia in Taurica regione usque hodie in proverbium tenetur.

397. CONSESSVS id est multitudo consedentium.

398. FERA VOTA id est sanguinem humanum.

401. RIMERIS *a*) id est inquiras. *b*) Rimari proprie porcorum qui in rimis hoc est in venis terrae cibum quaerunt.

404. SECTA *a*) id est inscripta vel incisa[1]. *b*) QVACVMQVE[2] id est in quocumque loco. *c*) *Vesontium* civitas tres portas habebat in quibus literis maximis in similitudine funditonnae factis hoc scribtum habebatur : « IVLIA IVLII FILIA HOC DIIS MANIBVS OBTVLIT » id est diis infernalibus.

405. *Salarium* proprie erat praebenda quae dabatur custodientibus sepulcra mortuorum.

406. *Orcus* dicitur Pluto : ὅρκῶ[3] Graece juro inde Orcus vocatur quia jurat neminem se sine morte relicturum[4].

410. CVM PRINCEPS *a*) scilicet Constantinus : modo de Constantino dicit. *b*) TYRANNI id est Licinii et Maxentii.

412. NIGRANTIBVS scilicet fumo imolatarum victimarum[5].

414. SEPTENA VII sunt colles intra Romam.

417. SVPERBIS id est excelsis, nobilibus, gloriosis.

419. SED NEBVLIS id est idolatriae sorde.

421. HEBETAT obscurat, obtundit.

423. VMBRAS *a*) id est larvas : inter larvas et lemures hoc distat : larvae sunt quae homines in amentiam vertunt; lenures vero innoxiae sunt et dictae lemures quasi lares manentes. *b*) Sunt enim animae mortuorum diu manentes <in> corporibus.

424. CERVLEAS id est manes inferorum.

1. inscisa. — 2. Quamcūq. — 3. orco. — 4. 406 post 410 b. — 5. 412 post 404.

425. CENSEO id est iubeo, statuto, iudico.

432. SVPERSTAS id est emines, praesides.

434. CARIOSORVM id est putridorum, carie et putredine verminum consumptorum idola : caries est putredo lignorum quam termetes vermes faciunt.

436. Gipsus est terra tenax unde statuae conficiuntur.

437. INFIDO id est in male fido durantique : deficit et annuatur paulatim.

440. ERUGO *a*) id est vitium metallorum. *b*) PERESAM id est inconsumptam, foratam.

449. *a*) *Pagani* dicti a pago id est a villa : nam pagos Graece, villa Latine. *b*) Antiqui enim iuxta fontes villas faciebant, unde paganus dicitur villanus, quod longe sit remotus a civitate dei, id est ab eclesia ; vel quod de uno fonte erroris potaverunt.

450. QVOS PENES id est apud quos : quicquid timebant deum esse putabant.

452. SANGVINOLENTVS id est sanguine plenus, quidam[1] enim gentiles <erant> qui in sacrificiis deorum carnibus humanis vescebantur.

460. RVDES id est novi semper et indocti.

461. PROCINCTVS apparatus bellicus.

463 seqq. *a*) Licinius primo Christianus sororem Constantini Constantiam nomine uxorem duxit volens ab ea filium habere ut per hoc imperium obtineret, sed illa sterili[2] permanente, adipisci hoc non valens ad idolatriam reversus est et multa mala Romanis intulit. *b*) Ad ultimum vero Constantino signum Crucis Sanctae in Labaro[3] praeferente interfectus est. *c*) Maxentius autem gente Romanus erat, qui bellum Constantino inferens pontem super Tiberim fraudulenter contruxit quem ramis (34 r°) cooperuit, ut Constantinus ad bellum contra eum procedens per ipsum flumine laberetur : sed Constantini adventum comperiens furore arreptus obviam illi processit et sic pontem ingressus fraudis quam fecerat non

1. Quaedam. — 2. stirili. — 3. laboro.

recordans, in flumine mersus est, sicque bellum civile cessavit.

466. IN HASTIS id est quia in hasta signum Crucis gerebant.

470. LONGO DAMPNATOS *a*) quia ex longo tempore in carcere positi erant. *b*) CENTVM id est multos id est finitum[1] pro infinito.

472. INTERCEPTA id est rupta, negata, decepta.

477. Ergasterium est operatorium id est ubi opera aguntur, quia ἔργον[2] opus, hinc ERGASTVLA dicuntur; proprie hergastula sunt ubi rei ad secanda marimora mittebantur vel ad aliud opus aliquod : sed hic pro carceribus.

478. MVSSANS id est mussitans vel murmurans.

480. AUT *concessa* *a*) scilicet non impune et publicata. *b*) SVSPIRIA TRAXIT id est ab imo pectore.

481. TESTIS *a*) est scilicet sumptum. *b*) CHRISTICOLAE Christicolam ducem se ipsum vocat.

482. *Molvius* id est scilicet pons eo nomine vocatus est ab auctore.

485. *Stema* est proprie filum quo sacerdotes tempore aestatis capita sua ligabant quando eis propter aestus fervorem pilleum investire non licebat : ponitur autem pro linea generationis, sed hic pro figura.

486. CHRISTVS PVRPVREVM imago Christi in cruce continebatur in labaro purpureo quae auro et gemmis erat in illo texta.

487. LABARVM dicitur vexillum regale quod alia omnia praecedit ad bellum.

488. CRISTIS id est galearum summitatibus : in omnibus enim armis signum crucis habebatur.

489. MEMINIT scilicet maiestas Christi.

490. QVI[3] TVNC *a*) id est mortuo Maxentio. *b*) PROCESSIT CRINE id est prolongato egressus est.

491. *Compede* id est vinculo pedum.

1. infinitū. — 2. ergon. — 3. Q.

492. *Complexus* id est constringens brachiis id est deosculans.

494. VERENDVM id est honorandum, timendum.

498. EXPERTA id est probans, comperiens, sciens.

501. MARMORA id est marmoreas statuas[1].

502. PVRAS id est sine honore et cultu et sacrificiis.

507. VIETO *a*) id est vetusto, antiquo : vietus est incurvus vel viribus privatus. *b*) Dicimus etiam quod vi flectatur sicut etiam via dicitur quod vi teritur.

511. DOCILIS est magister qui facile docet, docibilis discipulus qui facile docetur : unde Apostolus (cf. Johann., VI, 45) : « Erunt omnes docibiles dei » id est faciles ut doceantur.

516. *Invidus* est qui invidet, *invidiosus* qui invidiam patitur.

518. SACRIS id est idolis et sacrificiis deorum.

522. SAEVITIAE[2] *a*) id est crudelitatis. *b*) MONSTRATA id est a sacerdotibus. *c*) QVAERIT id est interrogat scilicet a sacerdotibus unde piaretur.

524. MARII id est qui septies consul fuit

525. NVMIDIA *a*) pars Africae. *b*) IVGVRTHAM[3] id est toparcam Africae, filium[4] Micipsae toparcam Africae id est regem Numidiae. *c*) Micipsa toparca Africae rex Numidiae ex uxore[5] legitima duos filios habuit et unum ex concubina id est Iugurtham[6] : qui moriens regnum suum cum filiis duobus[7] Romanis commendavit. *d*) Post cuius mortem Iugurta Romam adiens aurique pondera innumera secum ferens, a nemine honorifice susceptus nondum etiam ad osculandum provocatus est ; ille itaque nocte sequenti gazas secrete singulis Romanorum transmittens die crastina magna cum reverentia ab eis admissus est, increpatus tamen ab eis propter suos quos iniuste opprimere volebat, letus remeavit et urbem retro aspiciens dixit : « O urbem venalem et cito labilem si emptorem invenerit[8]. » *e*) Cumque ad propria remeas-

1. 501 post 502. — 2. Æuitiae. — 3. Jurgurcā. — 4. Filie. — 5. Corr. ex exure. — 6. iugurtha. — 7. *Supra*. — 8. Corr. ex inueniret.

set, duos fratres interfecit atque regnum Romanos debellans, usurpavit : contra quem Marius consul missus, eo superato, regnum Numidiae Romanis restituit.

526. NEC TANTVM ARPINAS Cicero proconsul Romanorum ab Arpinate oppido Arpinas dictus est ; qui coniuratione facta a Silla[1] Catalina et Citego[2] ut urbem incenderent omnesque senatores interficerent, a suo servo indicante comperiens omnes interfecit (34 v°), quem in senatu omnibus videntibus increpavit.

529. CATILINAS[3] id est perversos ut fuit Catilina.

538. TOGATVS id est pacificus : nam toga tempore pacis utebatur.

539. REMQVE QVIRINI id est Romani Populi : rem pro regno posuit velut Virgilius (Aen. III, 1) : « Postquam res[4] Asiae ».

543. SENECTAM id est finem vel terminum.

544. VIDEAS *pulcherrima* scilicet si adesses : « videas » secunda persona est pro tertia id est videre poterat aliquis si adesset.

545. CONCILIVMQVE *a*) scilicet videas quia concilio ipsorum totus mundus regnabatur. *b*) GESTIRE id est exultare, moveri gaudio pro percepta iam fide : « gestire » proprie dicitur movere ; aliquando etiam gaudere et exultare significat, sicut in hoc loco, quia gaudentes motu corporis suae mentis laetitiam designant. *c*) Unde et exulto tractum est a verbo salio. *d*) CATONVM SENVM id est antiquorum et per hoc nobilissimorum. *e*) Duo autem Catones fuerunt, avunculus et nepos : avunculus quidem Censorius[5] dictus est, nepos Uticensis a loco mortis. *f*) Sed hic[6] « concilium Catonum » vocat Romanos qui se eis nobilitate et sapientia aequiperare studuerunt.

546. CANDIDIORE TOGA *a*) Romani nobiles in laetitia et prosperitate vestibus candidis utebantur, in adversitate vero et tristitia pullis id est nigris, unde et « pul-

1. scilla. — 2. Corr. ex cedego. — 3. Catilinos. — 4. rex. — 5. sensori'. — 6. Corr. ex hoc.

lati proceres » (Juvenal. III, 213. Dracont. Laud. Dei III, 376, cf. var. lect., C. VII, 151). *b*) Sed in hoc loco *candidiore toga* dicit quia gaudentes in baptismo candidas vestes accipiebant. *c*) NIVEVM id est pulchrum, candidum.

547. EXVVIAE proprie dicuntur pelles ferarum ab exuendo : sed plerumque pro omni veste ponuntur.

548. IAMQVE RVIT *a*) id est festinanter venit, properat. *b*) PAVCIS scilicet paganis. *c*) TARPEIA RVPE id est in Capitolio. *d*) RELICTIS scilicet in suo errore.

548. SINCERA PENETRALIA *a*) vocat templa Petri et Pauli vel ministeria [1] (mysteria?) baptismi. *b*) NAZAREORVM Nazareni, primi Christiani [2] a Christo qui Nazarenus dictus est, a Nazareth [3] civitate ubi conceptus est et nutritus; postea vero apud Antiochiam [4] civitatem in qua Beatus Petrus primitus sedem episcopalem (cathedram) obtinuit, Christiani dicti sunt.

550. EVANDRIA CVRIA *a*) stirpem Evandri dicit. *b*) Evander pater fuit Pallantis [5] qui in auxilum Aeneae venit; qui Aeneas fuit auctor Romanorum, unde « Evandria curia » dicitur multitudo senatorum. *c*) <FONTES> id est baptismum.

551. *Amniadum a*) id est Amnii familiae. *b*) Amnias dux nobilis Romanorum a quo « soboles Amniadum », unde et Boetius fuit dictus Anicius (552), quod fuerit invictus. *c*) SOBOLES scilicet ruit. *d*) ET PIGNERA id est filii scilicet ruunt, ad apostolicos fontes.

552. FERTVR ENIM quia ipse ante alios proceres primus ad baptismum properavit, de cuius stirpe fuit Boetius.

554. *a*) ET *Olibriaci* de istius genere descendit Olibrius : huius mentionem facit Priscianus. *b*) *Heres* dicitur ab hero.

555. ADIECTIS FASTIS *a*) id est inscriptus fastis id est libellis ubi gesta consulum scribebantur. *a*) Fas-

1. ministreria. — 2. xpian. — 3. nazareht. — 4. antiochā. — 5. Corr. ex pallandis.

tus [1] secundae declinationis librum significat, tertiae vero superbiam. *c*) Sed Lucanus male fastibus pro fastis posuit dicens (Phars., X, 187) : « Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus ». *d*) PALMATA id est triumphali : palmatis enim togis utebantur triumphantes. *e*) ABOLLA duplex toga est quae et diplois.

557. INCLINARE id est subdere scilicet « securem » id est iuditiariam potestatem.

558. NON PAVLINORVM *a*) a Paulo consule : familias nobilium Romanorum nunc exequitur. *b*) BASSORVM a Basso consule.

559. PROMPTA id est studiosa, devota.

560. SECLO id est ad venturum seculum.

561. *Gracci a*) filii Corneliae sororis Sciphionis uxoris Crassi qui a Parthis interfectus est, post cuius mortem [2] nupsit Pompeio et fuit castissima mulier. *b*) PLEBICOLAS autem dicit plebem colentes et diligentes : nam maximum dilectionis (35 r°) affectum erga plebem habebant, unde et pro eius defensionem crebras insidias excitabant quam ob rem sediciosi dicti sunt [3].

562. IVRE POTESTATIS *a*) quia magne potestatis fuerunt. *b*) FVLTOS id est munitos [4], sustentatos. *c*) ARCE id est in capite, dignitate.

564. *Lictores* dicebantur virgiferi id est virgas ferentes, per quos iudices vindictam exercebant reos puniendo.

565. CONSECRASSE vel *congregasse* id est coniunxisse, sociasse.

567. LICET *a*) id est licitum est nobis. *b*) SIGNACVLA id est ad Crucem Christi.

568. *Idolium* [5] dicitur templum (sive locus) idolis consecratum, *idolotitum* vero quod idolis imolatur id est immolata [6] caro.

569. SI PERSONA ALIQVA EST *a*) id est si aliquid

1. Faustus. — 2. morte. — 3. 561 post 562. — 4. muntos. — 5. Idolio. — 6. immolatia.

valet, si est auctoritas in persona. *b*) AVT SI STATVS id est defensio, gubernatio.

570. SI FORMAM id est statum et dignitatem.

571. *a*) HI[1] FACIVNT tales supra dictiri viri. *b*) SENTENTIA PLEBIS scilicet simul cum senatoribus. *c*) Plebis scitum dicebatur id quod primum senatus repperiebat et dehinc ad scientiam plebis referebatur : senatores enim primum inter se et consules de statu rei publicae decernebant, et cum ad plebem notitia[2] perduceretur[3] et eius favore atque scientia sanciretur, plebis scitum dicebatur.

572. < POTIORES >[4] nobiles scilicet Christum credunt.

573. LVX EST *a*) nobile templum erat Romae quod « illustris cella » vocabatur quia[5] ibi gratia Spiritus Sancti corda illuminantur fidelium baptizatorum[6] per regenerationis mysterium. *b*) Cellam vocat Palatium Lateranense ubi nunc publicum baptisterium vel aetiam aeclesia[7], quae nunc in honore XII Apostolorum habetur, dedicata.

574. OBSITA *a*) id est circumdata[8]. *b*) NVGIS id est vanitatibus. *c*) Nuge semper pluraliter tantum inveniuntur : sunt autem nuge ineptiae sive vanitates. *d*) Nugas vero trium generum est et indeclinabile, facit enim hic et haec et hoc nugas ; nugas enim dicimus stultos seu vanos.

575. *Obstrictos* id est adbreviatos.

576. ET QVIBUS *a*) scilicet vix invenies. *b*) EXACTAS id est transactas. *c*) PLACEAT id est delectet. *d*) SERVARE id est observare id est colere. *e*) TENEBRAS id est errores.

577. SPLENDENTEM *a*) subaudis quibus placet. *b*) DIE id est tempore fidei.

578. POSTHINC *a*) unum vacat, id est deinde. *b*) CONVERTE scilicet O Symache. *c*) AD POPVLVM CON-

1. Hii. — 2. notitia. — 3. Pduceret. — 4. P. — 5. qui. — 6. baptizatorium. 7. aeclesiam. — 8. circumda.

VERTE ó Symache : post senatores et nobiles ad fidem Christi conversos, intuere populum ut intelligas quid velit[1].

579. SANIE id est putredine vini[2] lactis[3] sanguinis[4].

580. CAENACVLA id est ad celsa aedificia potentum ut eos consulant.

581. QVIQVE TERIT id est fricat calcando id est pedites qui nudis pedibus incedunt, pauperes videlicet.

582. GRADIBVS DISPENSVS pro dispensatus : nobiles qui in gradibus scaene ad spectacula residebant, pauperes qui convenerant ad ludum de suis facultatibus pascebant.

583. *a*) *Vaticanus* vocatus est ille mons sub quo aeclesia Sancti Petri sita est. *b*) TVMVLVM sepulcrum vero Beati Pauli in via Ostensi est.

584. QVO CINIS ILLE id est ubi vel in quo monte.

584. AMABILIS OBSES *a*) « amabilem genitorem » Petrum vocat et ideo « obses » quoniam ad magnam pacem datus est Romanis, qui quasi obses nostrae salutis et liberationis datus est. *b*) *Obses* autem dicitur qui loco pacis a hostibus datur et postea recipitur. *c*) Templum quod dicitur « Ad Lateranis » fuit antea Palatium Neronis, ubi nunc habetur memoria XII Apostolorum.

586. REFERAT *a*) id est reportet. *b*) REGALI CHRISMATE id est baptizatus et confirmatus.

587. ET DVBITAMVS *a*) cum hoc videamus cur dubitamus? *b*) Sensus est : cum, inquid, viles et mediocres atque potentes pari voto et aequali studio fidem Christi suscipientes ad baptismum conveniant[5] adque Apostolorum basilicas venerationis gratia assidua frequentant, cur dubitamus nos, cum haec videamus, transire Romam in legem Christi ? (35 v°).

588. IN LEGES T. T. *a*) id est in ius et cultum et religionem tuam. *b*) VOLENTEM id est ipsam Romam desiderantem.

1. 578 c post 579. — 2. uno. — 3. latus. — 4. anguinis. — 5. cūueniant.

590. IAM SVPER iam, inquid, Roma desiderat ut terrenam suam potestatem in coelestia convertat.

591. NEC MOVEOR *a*) id est non curo, non perturbor[1]. *b*) HOMINVM RARISSIMA id est minima[2]; non, inquid, conturbor si sunt adhuc infideles perpauci clausos oculos in luce veritatis et fidei habentes, quia licet splendeant nobilitate et pro suis benefactis titulos et honores mereantur habere, nihil valebunt contra Catholicam fidem publica iura.

592. SVB LVCE *a*) id est sub fide Christi quae est vera lux. *b*) ET GRESSIBVS scilicet infidelitatis in quibus in fide rectius stare deberet.

594. TITVLIS *a*) id est memoriis[3] excellentium factorum. *b*) AVCTI id est multiplicati.

595. FASTORVM[4] ARCE *a*) id est dignitate librorum annalium. *b*) POTITI id est adepti. *c*) *Retulerunt* id est reportaverunt scilicet illi qui in cultu idolatriae detinentur : adhuc modo exponit quod superius dixit, videlicet si pauci nobiles et potentes adhuc fidem Christi non susceperint, nullo modo se ex hoc permovendum dum maior multitudo ad Christum iam conversa fuisset.

596. ANNALES, cartas, vocat historias et libros annales in quibus nomina consulum scribebantur ut per hoc maioris auctoritatis essent.

597. ATQVE *a*) scilicet quamvis. *b*) INTER VETERES id est inter statuas veterum Romanorum computentur non ipsi sed eorum. *c*) NVMERENTVR ET AERE nobiles Romanorum tantum statuas merebantur aereas sive lignetas[5] quae lineo involutae pingebantur et supra picturam illinebantur caera ne carie consumerentur ligneae statuae[6].

598. IN PAVCIS *a*) scilicet potentibus vel nobilibus. *b*) DEFICIENTE id est pereunte multitudine.

600. ET QVODCVMQVE F. *a*) subaudis non est « persona patriae. » *b*) PRIVATA id est non secundum quod

1. 511 a post 591 b. — 2. *Supra*. — 3. memoris. — 4. Fact$O\mathfrak{z}$. — 5. Lignetas s. q. — 6. 597 b post 598 b.

unus elegit tantum et vult « persona constat patriae » (599), sed secundum quod plures.

601. AC IAM RARA[1] *a*) id est sola quia pauci sunt qui eos sequentur. *b*) SED PVBLICA scilicet quid ergo? *c*) VOTA id est desideria. RECLAMANT *d*) scilicet erga fidem Christi.

602. DISSENSV *a*) id est festiva dissentione inter se. *b*) MVRMVR quia[2] adhuc idolatriam defendere volunt qui tantum murmurare possunt, nocere vero Christianis non possunt.

603. CONSCRIPTORVM patres conscripti vocabantur senatores quia eorum nomina in aereis tabulis scripta erant quorum sententia et auctoritate quicquid roboratum fuisset, firmum et stabile in perpetuo servabatur.

607. *Excedat* reclamatio : id est locum maiori numero det.

608. SVBSELLIA *a*) erant senatorum in quibus sedentes in curia causas et sententias per concilia decernebant. *b*) *Senatus* dicitur vel ipsa multitudo vel aetiam ipsa domus ubi senatores conveniebant.

609. PVLVINAR vocabant templum a pulvinaribus id est lectisterniis quae in templis fiebant in quibus recumbentes sacerdotes excubias coelebrabant.

611. QVA VOCAT id est ad quod vel ubi; ad illum locum vel causam, ad fidem Christi videlicet.

612. LIBERA *a*) id est voluntaria, nullo cogente. *b*) CVM id est partim. *c*) TVM CORDE id est partim id est corpore et voluntate.

613. NEC LOCVS INVIDIAE id est quia nullus cogitur ad fidem Christi : tunc « locus invidiae » esset, si coacti, non sponte, converterentur.

614. PROBATVM id est hoc quod ipsi probabant, laudabant melius esse.

615. NEC IVSSVM *a*) scilicet a principe per violentiam. *b*) S. CAPTI R. id est delectati proprio intellectu.

1. Para. — 2. q̇.

616. PRO MERITIS *a*) id est pro temporalibus beneficiis. *b*) REPENDENS id est recompensans, restituens quia quod temporaliter merentur id est honores, concedit eis quamvis sint infideles.

617. MVNERA *a*) scilicet temporalia. *b*) SACRICOLIS id est sacra vel idolis colentibus. *c*) HONORES id est maximas dignitates.

618. DVX BONVS *a*) id est Constantinus. *b*) SINIT id est permittit. *c*) SVORVM scilicet (36 r°) Christianorum. *d*) Sensus est : permittit paganis contendere cum Christianis nec ut[1] simul habitent.

619. NEC PAGO *a*) id est paganissimo. *b*) πηγή[2] Graece, fons Latine : inde pagus dicitur. *c*) Villae circa fontis edificari solent, hinc et paganus dicitur villanus id est rusticus quia longe est a conversione urbana, hinc et pagani dicuntur infideles eo quod longe a civitate dei sunt id est ab aeclesia fidelium. *d*) IMPLICITOS id est infideles id est involutos, irretitos. *e*) CVLMINA MVNDI id est per summos honores.

620. PROHIBET *a*) id est vetat incedere paganos. *b*) QUONIAM *caelestia* divina et spiritalia quoniam quis potest[3] esse fidelis et habere divitias.

621. TERRENIS *a*) scilicet hominibus. *b*) <SOLITVM> per consuetudinem. *c*) ITER honores terrenos et divitias vocat. *d*) OBSTANT id est obsunt vel nocent.

622. IPSE MAGISTRATVM[4] *a*) id est dux Constantinus. *b*) MAGISTRATVM id est ipsam dignitatem. *c*) IPSE TRIBVNAL[5] id est tribunitiam dignitatem.

623. CONTVLIT *a*) id est attribuit quamvis Christianissimus esset et nihil ei nocuit. *b*) V. AMICTVM id est vestem imperialem[6].

624. O PEREVNTVM ó Symache, pro pereuntium[7].

625. Reformando iterum colendos ; ideo decit RESTITVENDOS.

626. DOLOS *a*) id est furta adulterii. *b*) PERORAS

1. ut nec. — 2. pige. — 3. potes. — 4. mag. — 5. tribunas. — 6. imptialem. — 7. 626 a post 624.

id est perorando doces. *c*) VVLCANI quod dicit « Vulcani dolos » et « Martis » sive « Veneris », fabulam tangit : Mars[1] concubuit cum Venere, quod videns Sol indicavit Vulcano marito Veneris. *d*) At ille catenulas subtilissimas arte mechanica[2] composuit[3] quibus ambos simul irretivit et aperto hostio introduxit deos ut viderant Ilos turpiter iacentes. *e*) Unde nunc dicit quod iste Symachus volebat ut iterum haec fabulosa colerentur quasi divina.

627. LAPIDES SATVRNI SENIS *a*) Abaddir lapidem dicit quem Saturnus pater pro Iove filio devoravit. *b*) Fabula talis est : Saturnus cum intellexisset a proprio filio se esse pellendum a regno, omnes filios mox natos devorabat, sed Ops quae erat uxor Saturni cum peperisset Iovem videns illum nimium eligantem voluit nutrire et morti subducere ; tunc indicavit marito suo se lapidem peperisse quem cum ei ostendisset devoravit eum putans quod filius suus esset. *c*) Hoc[4] aetiam Symachus persuadere volebat ut pro re divina coleretur. *d*) *Phoebique* id est Solis. *e*) FVRORES id est amores quibus quendam ephebum puerum nimium dilexerat et ideo perdidit divinitatem.

628. ILIACAE *a*) id est Troianae. *b*) Megala civitas est apud quam in honore Matris deum singulis annis ludi fiebant. *c*) « Iliacae » autem dicit quia apud Ilium praecipue Mater deum id est Ops vel Berecinthia colebatur. *d*) MEGALESIA scilicet ludicra vel ludos Megalenses. *e*) *Bachica* id est Bachanalia id est sacra Liberi. *f*) *Nisa* mons est Libero consecratus, ubi etiam fertur esse natus ; unde et Dionisius dictus quasi dios Nisi id est deus Nysae montis. *g*) *Bachica* ergo Nisi dicit sacra et sollempnitates quae in honore Liberi in ipso monte caelebrantur.

629. ISIDIS[5] *a*) scilicet reginae. *b*) AMISSVM id est perditum, interfectum. *c*) Isis filia fuit Inachi regis Argivorum quam cum vitiasset Iuppiter, Iuno eam con-

1. mar. — 2. mechanina. — 3. compusuit. — 4. hocc. — 5. Isis.

vertit in vacam adhibens ei Argum ministrum suum cum centum oculis qui eam custodiret, ne iterum Iovis ad illam posset accedere; sed Apollo Iovis ortatu suis sagittis eum interfecit, quem postea Iuno convertit in pavonem, unde adhuc oculi in corpore illius apparent, Isidi vero iam vaccae oestrum muscam gravissimam quae eam persequeretur[1] immisit. *d*) Illa itaque oestro graviter stimulata transiit mare unde et postea Bos (36 v°) forum dictum est quasi bove foratum : cumque pervenisset ad Egyptum, recepit ibi pristinam formam et facta est regina ipsis nupsitque Osyri regi Aegyptiorum. *e*) Qui cum postea a fratre suo Tiphone crudeliter dilaniatus fuisset, ab ipsa Iside diu multumque quesitus est, sed tandem membra illius in quadam <arca> repperiens diligenter collegit et in cribro hoc est in vanno componens flendo et lugendo domum reportavit. *f*) Unde et sacerdotes in sollemnitatibus eius per devia loca discurrentes simulant se illum quaerere et ad ultimum quasi inventum cum luctu et fletu ad templum suum reportant. *g*) Et hoc est quod dicit SEMPER PLANGENTIS *Isidis* id est indesinenter. *h*) OSIRIM id est virum suum regem Aegypti.

630. CALVIS *a*) id est archigallis suis sacerdotibus : sacerdotes enim Isidis tondebantur, vel radebantur, et erant castrati, et sacerdotes in sacris deum decalvabantur cum illis capilli pro consuetudine inciderentur. *b*) Ipsi etiam sacerdotes deridebant haec talia sollempnia.

631. ET QVASCVMQVE *a*) zeugma[2] est a superioribus : solus peroras colendas esse. *b*) *Larve* sunt propriae umbrae demonicales quae noctibus apparent hominibus eosque terrent, sed hic LARVAS pro simulacris deorum posuit : ponitur autem larva pro malefico vel incantatore, unde et larva Latine dicitur demoniacus.

632. O *lingua* laudat eum de eloquentia sed hyronice per omnia loquitur.

633. DECVS scilicet O, id est pulchritudinem eloquii.

1. psequeret. — 2. zeuma.

633. CEDAT id est cederet et locum daret.

634. DIVES *a*) id est abundans eloquentia. *b*) GEMMAS id est hornamenta dissertae locutionis.

635. OS *a*) scilicet tuum dico O Symache; dignum esset ut iste qui talis et tantae eloquentiae est, Chrystomus[1] diceretur id est oris aurei, si deum laudare maluisset quam idola. *b*) χρυσόστομος[2] dicitur os aureum : χρυσός[3] Graece aurum, tomos[4] os, unde χρυσόστομος[5] dicitur eloquens quasi aurea verba proferens. *c*) TINCTVM id est illitum, ornatum. *d*) FVLGEAT id est resplendeat pulchritudine verborum.

636. SI MALLET id est si magis voluisset.

637. ET LIQVIDAM *a*) id est doctam, pulchram et claram. *b*) TEMERAVIT id est foedavit, deturpavit[6].

638. HAVD ALITER *a*) id est sed similiter. *b*) Pulchra comparatio est : eloquentiam enim Simmachi comparat[7] rastris eburneis, coenoso vero solo idolatriam quam praedicabat, sic de reliquis. *c*) RASTRIS id est sarculis ; *eburneis* de ebore factis.

639. *Coenosum a*) id est coeno plenum. *b*) MADENTES id est solubiles, sordidas.

640. AVREOLIS *a*) id est auro compositis. *b*) LIGONIBUS id est soccis. *c*) Ligones sunt instrumenta ruralia. *d*) *Vlva* est herba palustris, sed hic pro ipsis locis ponitur.

641. SCROBIS *a*) id est fosse : scrobs vel scobs et scobis facit nominativum. *b*) INQVINAT id est sordidat, deturpat.

642. *a*) ACIES id est acumen ipsius dentis. *b*) SORDET[8] id est sordida efficitur. *c*) SQVALENTI[9] ARVO[10] id est turpi, coenoso.

643. *Confidere* scilicet in mea locutione.

645. SVM MEMOR *a*) id est conscius sum meae parvitatis et impossibilitatis. NOVI *b*) id est nosco scilicet meam ignorantiam. MEA FRIVOLA *c*) id est insipida[11].

1. chrisortomos. — 2. Krisostomoc. — 3. Kpicic. — 4. Tomoc. — 5. crisos tomos. — 6. det²bauit. — 7. compa. — 8. Supra. — 9. Sqūa. — 10. arruo. — 11. Inspida.

d) Frivolum dicitur quasi (37 r°) fere obolum id est vix dimidium denarii valens; ponitur pro vili re. *e*) « Quia », inquid, « fragilitatis sum conscius et meam insipientiam agnosco, non timeo ut aliquis me reprehendat et arguat temeritatis ingenii quia castigabo me ipsum ne plus quam debeam loquar[1]. »

646. NON AVSIM CONFERRE PEDEM *a*) pro non audeo. *b*) Secundum disciplinam militarem hic loquitur : milites enim aliquando scuta tenentes ludendo discunt alter in alterum mittere et recipere ictus et ut ipsos evitare valeant disciplinabiliter in alteram partem se vicissim inflectunt. *c*) NEC SPICVLA scilicet verborum Simaci vel alicuius.

647. CONIECTA *a*) id est immissa mihi. *b*) LACESSERE id est provocare mihi.

648. *Illesus* id est intactus, liber illius Symachi.

649. OBTINEAT *a*) id est capessat, possideat. *b*) PARTAM id est sibi paratam.

650. SERVARE id est munire, defendere.

651. VOLANS *a*) id est caeleriter transiens. *b*) DEPELLERE *parma* id est contraposito scuto : hic dicendum est de militari disciplina quod antea dictum est.

652. IAM TVTA id est secura, defensa, tranquilla, pacificata.

653. PETITA EST id est lacessita et impugnata.

655. PEREVNTE *a*) id est deficiente, sine effectu vulneris. *b*) SAGITTAS id est iacula verborum.

656. COHIBERE id est cohercere, constringere.

FINIT LIBER PRIMVS CONTRA SYMMACHVM.

1. 645 d. e. post 646 b.

(INCIPIT LIBER SECVNDVS CONTRA SYMMACHVM)

a) Tituli sequentis argumenti materiam dicendi ex eo sibi Prudentius proponit quod in Evangelio (Matth., XIV, 13, sqq.) legitur : postquam Dominus ex quinque panibus et duobus piscibus V milia hominum in deserto satiavit, turbe voluerunt eum super se regem constituere quo ille[1] agnito solus fugit, discipuli autem nescientes quo ille fugerat vespere cum inquirentes mare Galilae navigare coeperunt, cumque illis media nocte ventus contrarius resisteret, aparuit eis Iesus quem Petrus videns dixit (Matth., XIV, 28-29) : « Domine si tu es, iube me venire ad te super aquas. » *b*) Et ait illi Iesus : « Veni. » *c*) Qui cum plena fide super aquas maris ambularet, postea dubitans coepit mergi et exclamans dixit : « Domine, adiuva me. » *d*) Tunc Iesus extendens manum increpuit eum dicens : « Modicae fidei ! qua re dubitasti ? » *e*) Deinde Iesu navem ascendente cessavit ventus. *f*) Bellum itaque quod contra Symmachum sumpsit mari, eloquentiam illius contrario vento comparans, Christi manum ne in illo certamine mergatur sibi implorat poeta adesse.

Praef. 1. Trimetrum constat ex spondeo[2] coriambo et iambo.

PETRVM a Domino per electionem.

4. CROCEVS RVBET id est caelum sero rubicundum

1. illo. — 2. pondeo.

serenitatem diei sequentis promittit, sicut mane diem pluvium denuntiat.

6. CAPTANS FLAMINA id est ventos : ventus enim aut mane aut meridie aut sero aut etiam[1] media nocte mutatur.

7. TRANSNARE[2] *a*) id est transnavigare. *b*) FRETVM id est mare Galileae, in quo omnes navigationes Domini leguntur.

8. OBVIVM id est contrarium, ab anteriori parte flantem, sicut prosperos dicimus ventos post[3] terga flantes[4] quos et secundos vocamus quod post nos secundi flant.

9. FVNDO id est ab arenis.

13. RVDENTIVM id est funium unde vela expanduntur.

25. INVII id est per quod nulla est via homini.

36. PESSVM MERGERE *a*) pessum id est deorsum, unde pessumdo id est deorsum immitto. *b*) Quod super mare siccis pedibus ambulabat dei erat quod vero in mari (37 v°) pene mergebatur mortalis, id est suae mortalitatis et infide dubitationis.

57. EXVLTAT scilicet contra nos eloquentia.

60. TRACTANDAE *a*) id est regendae. *b*) INDOCILEM scilicet me ignarum fidei. *c*) Cur haec praemiserit nunc manifestat : sicut enim in prologo[5] prioris libri se Paulo comparavit cuius manus a vipera pervasa est, sic modo Petrum inter fluctus mergentem sibi proponit et coequat.

II. Symm. 1. *Cunabulum*[6] *a*) id est ortus, exordia. *b*) Cunabula et crepundia idem sunt, id est lecti infantiles.

2. ERROR id est cultura deorum.

4. OBIECTA *a*) id est opposita a Symacho. *b*) REFELLAM id est reiciam.

5. ORSVM id est lectum fuisse.

6. DVCVM *a*) id est militum id est filiorum Constantini. *b*) ILLICE id est deceptrice. *c*) FLECTERET id est inclinaret arte.

1. edam. — 2. transmare. — 3. pos. — 4. Corr. ex flontes. — 5. Ploco. — 6. cunabulu.

(Comm. in verba Symmachi de quibus adi notam Dress. ad locum).

d) *Victoriae* id est deae quae victores in bello facit. *e*) *In posterum* id est in futuro : yronice dicit. *f*) *Et talium rerum* id est non *sumus cauti*. *g*) *Aversentur* id est abominentur, exsecrentur[1]. *h*) *Votiva res* dicitur quae exobtatur.

7. DOMINOS VERNANTES *a*) id est milites crescentes, Constantem videlicet et Constantinum. *b*) *Iuvente* scilicet Romanorum.

8. IMAGINE AVITA id est similitudine paterna, quia Constantinus semper in bellis exercitatus fuit.

9 EDVCTOS *a*) id est nutritos, pro educatos. *b*) CONGESTA id est in castris illius coadunata.

10. *Claxendix* dicitur conca quam equites portant, unde classes dicuntur equites et *clasica*.

11. IACTAT id est iactanter dicit.

17. VBI LEGATVS *a*) scilicet dixerat : legatus, qui quodammodo missaticum exequitur. *b*) REDDVNT dixit Simmachus, « respondent ». *c*) FRATRVM id est filiorum Constantini.

29. FORMATA TALENTIS id est ornata auro quia ex auro fundebatur eius imago.

30. VERSISQVE OFFENSA id est quia fugientibus aversa videtur quasi offensa : vel quia homines cum fugiunt vertunt hastas.

35. *Forti est* id est militi scilicet domina VINCENDI[2].

36. NON PEXO id est compto, ornato.

37. SVSPENSA PEDE *a*) id est cum nudo pede Victoria depingitur et cingulo cincta, quia milites procincti ad bellum pergunt, discincti vero revertuntur. *b*) *Strofio* id est cingulo aureo. *c*) στροφή[3] Graece convertere, inde strofium cingulum quod a renibus ad interiora convertitur.

1. excrentur. — 2. Corr. ex uincenti. — 3. strophe.

38. *Papillae* sunt summitates mamillarum.

41. LEPIDA *a*) iucunda, grata vel elegans. *b*) SACELLO id est saculo : non a sacro, sed a saculo diminuitur.

46. ACER APELLES[1] *a*) id est fortis. *b*) Apelles et Milio in fingendis statuis doctissimi fuerunt unde cum Alexandro mundum subiuganti in singulis civitatibus statuae ad adorandum constituerentur, edicto praecepit ut nemo statuas eius pingeret nisi Apelles nec <ex> metallis conflaret nisi Milio.

48. TRINA P. id est Homeri Apellis et Numae.

50. EX TABVLIS CERISQVE id est tabulas pictas cera superducebant et sic linteo cooperiebant ut amplius durarent.

51. *Cur Berecintiacus* Berecinthia Mater Deum Attin amasium suum propter delitias matronales castravit, unde sacerdotes eius galli vocabantur : gallus namque castratus interpretatur.

52. INGVINA *a*) id est testiculos. *b*) POESIS id est poeticum figmentum. *c*) Poesis est materia totius carminis, in qua poeta versatur.

53. TRIVIAE id est Lunae, Diane vel Proserpine.

54. CORNIPEDES[2] ARCENTVR *a*) id est prohibentur : id est propter Ypolytum dicit amatum Diane. *b*) Thesseus filium habuit Ypolitum cui superduxit Fedram novercam quae pulcritudine eius delectata interpellavit eum pro stupro : qui rem turpem et detestabilem esse sentiens noluit consentire. *c*) Itaque quasi ab eo spreta accusavit eum apud patrem suum (38 r°) quod eam violare voluisset, qui iratus detulit Aegeo patri suo id est Neptuno. *d*) At ille nimium ira repletus immisit ei super litus[3] currus agitanti focas (id est tauros marinos)[4] ad terrendos[5] equos illius : quem pavitantibus equis in terra prostratum membratim dilaniaverunt. *e*) Quod Diana videns miseratione commota per Esculapium eum

1. Apelles acer. — 2. Cornipes. — 3. (sp. 2-3 litt.) lt'. — 4. Idmarinos. *Supra*. — 5. Corr ex irendum.

resuscitavit unde et Virbius dictus est quasi bis vir, ante et post mortem. *f*) Proinde Iovis furore commotus contra Esculapium quod tantam rem facere praesumpsisset fulmine eum interfecit ; unde et Virgilius (Aen., VII, 733) : « Fulmine poenigenam Stigias dimisit ad umbras. » *g*) Poenigena enim dictus est quasi poena genitus eo quod secto suae matris utero sit natus : *h*) Apollo autem morte sui filii dolens interfecit Ciclopes qui fulmen Iovi fecerant. *i*) Iovis iterum Apollini indignatus spoliavit eum divinitate, unde et ipse divinitate[1] spoliatus Admeti regis pecora pavit.

1053. ACERVVM id est coacervationem virtutum et bonorum operum.

1054. *Curculio* vermis est dictus a guture, quia pene nihil aliud est quam gutur.

1055. SVNT ET VIRGINIBVS *a*) parabolam Evangelicam[5] hic tangit (Matth., XIII, 8) quae de iacto(?) in

1. Karis. — 2. eucharis. — 3. eucharistia. — 4. Acharis. — 5. euuangelicam.

bonam terram dicitur, quod adtulit fructum aliud tricesimum aliud[1] sexagesimum, aliud centesimum. *b*) Sed hic sexagesimum fructum quamvis specialiter viduis tantum non inconvenienter aptaretur, posuit tamen pro merito summae virginitatis.

1057. NEC NOTA[2] E. P. *a*) quia virgines in secretis locis semper habitant unde de Beata Maria legimus (cf. Ambros. in Luc, II, 8) quando invenerit eam Angelus Gabriel in conclavi, solam orationibus vacantem et Beatus Ambrosius dicit aetiam de ea (cf. de Virg., II, 2) quod in cubiculo sera, in publica festina, id est in tarda in domo, velox in via. *b*) Et in Evangelio (Luc, I, 39). « Abiit in montana cum festinatione » id est properavit ne agnosceretur in via. *c*) Cuius exemplum sanctae et Deo consecratae virgines (45 v°) imitari volentes, privatas potius diligebant habitationes et si forte aliquando causa necessitatis ad publicum processissent properanter cum verecundia transibant[3].

1063. *Resignare* proprie est aperire, quasi signum afferre[4].

1067. QVAM LIBERA SECTA antequam libere et propria[5] voluntate[6], dicit, sciant contempnere vestrae virgines (dum sunt adhuc in aetate puerili) fervorem[7], et aestum libidinis propter laudem castitatis et meritum, et propter amorem deorum capiuntur a parentibus et inde[8] consecrantur in templo Vestae ut ibi servientes non voluntariae sed coactae virginitatem custodiant, habentes tamen spem quandoque celebrandi nuptias.

1070. INGRATIS ADDICITVR quia dum non habent illis gratias pro sua virginitate quam non gratis sed coacte servabant.

1072. CORPORIS INTACTI corpus quidem illarum virgineum sed voluptas corrupta quia desiderant toros maritorum.

1074. *a*) *Suspirare* est amare quia amantes[9] crebra sus-

1. a. — 2. mota. — 3. 1057 post 1063. — 4. 1063 post 1055. — 5. xp̄e. — 6. uoluntatē. — 7. fer. — 8. In. — 9. Corr. ex amentes.

piria emittunt. *b*) *Tedae* in nuptiis adhibebantur quia nuptiae in noctibus fiebant; que pro ipsis nuptiis ponuntur.

1076. *Reses* dicitur piger, qui diu sedendo pigritiam contrahit : idem est et *deses* a diu sedendo[1].

1077. *Flamea* CANIS flameo enim id est olario nubentium capita velabantur.

1082. *Fungi* est aliquod officium administrare : hinc et perfungi dicimus ab officio cessare inde PERFUNCTA[2] id est liberata dicitur postquam sacrum peregit laborem.

1084. *Mereri* dicimus militare inde et emeriti dicuntur qui a militia cessant id est perfecti ; L enim anno militare cessabant et ad aliquam dignitatem promovebantur.

1089. *a*) *Pilentum* et *esseda* et *birotum* et *basterna* unum sunt id est genus vehiculi. *b*) Sacerdotes Vestae portabantur vehiculo per plateas Rome : et dum transiret caput disco operiebat ut videretur dicens « propter meam virginitatem salva est res publica. »

1091. INDE ad consensum despective loquitur.

1093. VENDITA PASTU quia ad hoc pascebantur[3] ut in theatro occiderentur, quia gladiatoribus publica stipendia donabantur pro talibus ludis.

1095. *Lanista* gladiator, a laniando[4] dictus.

1096. CONSVRGIT AD ICTUS ad hoc consurgit ut videat mortes hominum.

1099. RVMPI id est vitalia, quae circa cor erant, iubebat aperiri ut videret interiora hominis.

1103. *Excubiae* sunt diurnae, sicut vigiliae nocturnae.

1106. *a*) *Teniae* sunt extremae partes vittarum. unde *taeniolae* diminutive dicuntur, sed pro vittis accipiuntur hic. *b*) LICIA proprie sunt fila[5] quibus taelae ligantur, sed hic pro vittis posita sunt.

1107. LVSTRALES id est expiales, expiatrices.

1109. *Podia* sunt cancelli quae fiebant iuxta gradus scaenae quibus immitebantur[6] sedentes.

1. 1076 post 1077. — 2. pfuntta. — 3. pascebat². — 4. laniendo. — 5. filia. — 6. imitebant².

1110. AERATAM FACIEM *a*) propter galeam quam in capite habebant. TRIDENTI *b*) id est fuscina a qua percruciabantur capita gladiatorum.

1115. TE PRECOR ad Constantinum Minorem filium Constantini Magni loquitur, epilogum faciens ei et deprecans eum ut hostiles ludos theatrales de urbe Roma auferat, sicut pater illius idola abstulit.

1117. PERSPICE id est ut destruas ludos theatrales sicut pater tuus Constantinus idolorum[1] templa destruxit.

1128. SOLIS FERIS venatores bestias deducebant < in > theatro cum quibus ludebant volentes experiri suam virtutem : hos ludos bestiarum permitto, dicit, tantum ut (46 v°) gladiatorii ludi auferantur.

FINIT CONTRA SIMMACHVM

1. idolū.

DITTOCHAEVM

INCIPIVNT TITVLI HISTORIARVM

a) Iste liber proprie Dirocheum vocatur id est duplex refectio, quia de Veteri et Novo Testamento compositus est : est autem tetrasticon id est quatuor versuum, quia in quatuor versibus plenus est sensus. *b*) στίχος[1] Graece, versus Latine ; τέτταρα[2] quatuor. *c*) Potest autem et iste[3] totus liber Dirocheum vocari.

4. NVDIS FICVLNA arbor[4] : aspera folia habet et significat pruritum libidinis[5].

6. REFVTANS id est sacrificium respuens, ab agricultura.

8. CARO NOSTRA id est Maria quia sicut Cain expugnavit fratrem suum, ita et caro nostra expugnat animam.

13. Tres amici fuerunt Abrahae qui pepigerunt fedus id est Aner Aeschol et Mambre ex cuius nomine ilex sive quercus Mambre vocatur.

14. ARMENTALE id est pastorale ubi armenta illius requiescebant.

15. SARA *a*) quia riserit ab angelis arguitur, Abraam vero licet riserit, minime reprehenditur. *b*) Illa enim dubitando, ille vero gaudendo risit.

18. QVONIAM PEREGRINA MORATVR id est quoniam hic sancti habent civitatem manentem sed futuram inquirunt qui per fidem et iustitiam significantur.

1. Sticos. — 2. tetra. — 3. ist. — 4. ficul cibu. — 5. 4 post 8.

21. BIS SEPTEM VII videlicet plenae et VII percusse.

27. AVCTIO dicitur venditio [1], inde auctionarii dicuntur qui venditionibus lucra adquirunt.

28. VENIAQVE quam dedit illis Ioseph dicens (Gen., XXXXV, 5) : « Nolite timere : pro salute enim vestra misit me Deus ante vos. »

29. INVOLITANS D. I. quia in flama ignis aparuit discurrens.

30. MAGISTRVM id est pastorem, quia [2] tunc pascebat oves Iethro cognati sui.

32. Sancti quando ad praedicationem vadunt, calciamenta pedum solvere debent et expediti esse in ore ad praedicationem.

43. INGRATIS id est non offerentibus Deo id est populo Iudaico.

45. *a*) ἔρημος [3] Graece, solitudo Latine. *b*) *Dipsa* serpentis genus est et quoscumque momorderit nimiam sitim paciuntur adeo ut si totum mare bibere possent, illam sitim nullo modo extinguere valeant : populo itaque propter hoc genus serpentium laborante, Moyses serpentem eneum fecit et sursum, unde ab omnibus videretur, suspensum posuit, quem postea vulnerati eminus intuentes cito sanabantur. *c*) Hic serpens aeneus qui veneno carebat Christum significat qui carnis peccati figuram habens tamen peccati immunis <est>.

55. LXX palme septuaginta duos significant discipulos, quia lege arithmetica maior numerus minorem in se constringit.

59. QVOS *flumine* filii Israel postquam transierunt Iordanem siccis pedibus acceperunt XII lapides de medio loco ipsius alvei et posuerunt eos super ripam, de qua totidem accipientes collocaverunt in eodem loco in [4] medio fluminis per quos XII figurantur Apostoli.

63. SPECTABILE COCCVM [5] funem coccineum domus suae per quem exploratores dimiserunt.

1. uentio. — 2. qui. — 3. Herem. — 4. i. — 5. coctum.

64. SANGVINIS OFFERT quia funis ille colorem [1] sanguineum [2] id est coccineum < habebat >.

68. STVLTITIA EXVNDAT *a*) id est abundat id est < ex > maxilla asini. *b*) *Limphis* id est aquis. *c*) DVLCEDINE id est melle. *d*) VIRTVS id est leo.

73. AD OVILE PATERNVM id est ipse habebat (46 v°) curam gregis patris sui Iesse [3] ad quem citharam canebat.

76. FVNDA dicitur a fundendo : cuius media pars ubi lapis vel glans [4] id est massa plumbea [5] ponitur, scutale [6] vocatur.

77. DAVID *a*) et nomine et actu Christum significavit : nomine, quia David manu fortis vel visu desiderabilis interpretatur. *b*) Et Christus manu fortis, quia pene omnem mundum per Apostolicam praedicationem suae dictioni subdidit. *c*) Visu aetiam est desiderabilis quia ipse est in quem desiderant angeli prospicere.

81. *Salomon* sapientiam significat, que templum edificavit, id est corpus Christi quod edificavit sibi Dei filius subnixum VII columnis.

82. REGINA AVSTRI aeclesiam significabat que aurum congerit et coadunat, quia sancta aeclesia resplendet fulgore spiritalis intelligentiae.

87. LEVE LIGNVM id est manubrium sine pondere ferri id est bipennis.

88. REVOCABILE FECIT et hoc ad misterium Christi refertur.

89. CAPTA [7] FREQVENTI id est decepta : exilium patiebatur illa gens propter sua peccata.

92. ORGANA. *a*) (Psalm. CXXXVI, 2) « super flumina Babilonis ubi sedimus et flevimus » : cum enim ducerentur filii Israel captivi a Babiloniis [8] et resederent lassi iuxta flumina ipsius regionis, rogabant eos ipsi hostes sui ut canerent divina cantica ; tunc illi respondebant, dicentes (ibid., 4) : « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra eorum ? » *b*) Et tunc suspendebant organa

1. colore. — 2. sanguineu. — 3. ee. — 4. gans. — 5. plūba. — 6. sutale. — 7. Capita. — 8. babilonis.

sua in salicibus. *c*) Organum instrumentum musicum est leve quod manibus portatur; est et aliud organum maximum quod non potest moveri.

93. HIC BONVS id est propter suum peccatum vita hominum adbreviari potest: unde legitur in Psalmo (LIV, 23) : « Viri sanguinis et dolosi non dimidiabunt dies suos » ; protelari autem ultra tempus nullo modo potest.

96. SOL REVERSVS sol transiebat X lineas per orologium Achaz patris Aezechiae et iterum per easdem lineas retro currens per duos dies fecit minus duabus horis.

97. ADVENTANTE id est imminente Christi nativitatis tempore, Novum Testamentum Mariae Angelus Gabrihel annuntiavit.

101. *a*) *Bethleem* domus panis interpretatur : est autem civitatula sita in ultimis partibus Iudaici regni a parte meridiana ultra quam alia nulla civitas est. *b*) Habebat[1] tunc vicum quendam Posse ubi est turris Adeder id est turris pastorum. *c*) Moris enim illius regionis[2] est ut propter latrones qui de locis desertis subito veniunt ibi turres fiant ubi se recipiant, de quibus una ista erat. *d*) Ibi etiam visio angelica facta est pastoribus, ibi quoque ut Beatus Ieronimus dicit (Ep. CVIII, 11) ipsi tres sancti pastores iacent sepulti.

105. HIC PRETIOSA quasi picturam ostendit id est ad hunc locum, Bethleem videlicet, ubi Christus lac sugebat.

106. In auro rex, in ture Deus, in mirra mortalis agnoscebatur.

109. VIS LVMINIS *a*) id est claritas divina quae facta est cum angelo multitudo caelestis exercitus <dicebat> (Luc. II, 14): « Gloria in excelsis Deo et in terra pax. » *b*) Tunc dixerunt pastores (15). « Transeamus » et cum venissent, invenerunt eum pannis involutum.

1. Ht. — 2. regio.

115. *Lacteo* tenerrimi erant adhuc et parum sanguinis habebant, pro quo lac defluebat.

117. *a*) *Locusta* est avicula digitalis magnitudinis, acri quidem volatu, sed cito deciduo quae cocta in oleo a pauperibus comeditur : tantum quia vilis cibus est. *b*) Invenitur autem haec avium species in desertis quae sunt iuxta ripas Iordanis.

118. *Mel silvestre* folia sunt arborum in ipsis desertis iuxta Iordanen que manibus confricata saporem mellis comedentibus prestant.

121. STAT PINNA post excidium id est subversionem templi Domini quod erat in Ierosolimis (que facta est a Tito et Vespasiano), illud tabulatum pinnaculum quod undique circumdabat templum remansit.

124. *Compago* NOVORVM (Matth. XXI, 42), « lapidem quem reprobaverunt edificantes hic iactus est in caput anguli » : id est quia Christus sibi coniungit duos populos, Iudaicum scilicet et gentilem ut duos templi parietes.

128. MERI VETERIS dicit quia vetus vinum melius est et suavius ab bibendum, unde Salomon (Eccl. IX,15) : « Vinum novum, amicus novus ; veterescet et cum suavitate bibes illud. »

131. SILOAM V. piscina erat apud Ierosolimis, locus ubi aqua que defluebat de fonte Siloa recipiebatur ; ad quam cum descendisset angelus, movebat aquam et quicumque languentium post motionem primus eam fuisset ingressus sanus fiebat, et unde medicina proveniret illis nesciebant.

138. CALCE id est extremitate pedum quia (Matth., XIV, 29) cum vidisset Petrus ventum « validum venientem timuit » et caetera.

141. VINCLA FERREA id est catenas quibus ligatus erat, id est demoniachus qui in sepulchris mortuorum morabatur.

154. TVMVLOSVS id est tumulus mortuorum : peregrinorum enim in sepulturam de pretio Christi quia

(Matth. XXVII, 6) non licebat mittere in corbanan quod erat pretium sanguinis, emptus est ager ille.

155. *Minus* ARTAT[1] id est constringit[2] id est quia minus poene atque tormenti habuit[3] quam debuerat.

158. IN QVA *a*) id est in domo. *b*) PVLSATA EST id est impacta : ubi Christus colaphizatus est.

159. QVORVM *peccatorum* et eorum EXITVS id est mors MANET adhuc.

161. Domus Caiphae super eum sicut iste dicit corruit et ibi mortuus est vel cecidit in subversione Ierusalem.

162. Flagrum genus est tormenti unde dirivatur *flagellum* quia ipse pro nobis flagellatus est ut nos (164) immunes essemus ad tormentum.

1. astat. — 2. contringit. — 3. quā habuit quā.

PERISTEPHANON I

INCIPIT LIBER PERISTEPHANON ID EST DE CORONATIS

a) Stephanus Ebraice[1] norma eorum interpretatur, Grece autem coronatus. *b*) Hinc[2] Perhistephanon liber dicitur id est de Coronatis.

25. HOC PROBIS *a*) id est bonis. *b*) Dicitur autem probus quasi bonitate probatus vel quasi *proibus*, eo quod prohibeat se a vitiis.

27. Hosticus et hostilis[3] idem est.

31. CRVDI LABORIS id est crudelis, sed cocti ex diversis suppliciis. (Iso. : sed excocti d. s.)

32. PERENNE CINGVLVM id est quia milites cingulo utebantur.

33. SACRARIIS *a*) id est in templis Christi. *b*) Sacrarium dicitur locus ubi sacre res commendantur.

35. VENTOSIS D. PALLIS id est vexillis : dracones enim erant depicti in vexillis Romanorum.

40. POSTEROS id est sanctos qui fidem quam habuit Israel imitantur.

44. BISVLCAS[4] vngvlas *a*) id est bifidas. *b*) Ungula est genus tormenti unde radebantur sancti id est ferrum aduncum.

c) Metrum Trochaicum Archiloicum quod Dactilo pede clauditur.

Ordo Libri Peristephanon : P. I (post C. X), V, IV, VI, VII, IX, XI-XIV, II, III, X. — 1. et'. — 2. h-i'n. — 3. hostis. — 4. Bissulcas.

46. COLLA BACIS *a*) id est catenis. *b*) *Bacas* proprie dicimus rotunditates ferri quae sunt in catena quod similes sunt bacis.

53. SODALITAS *a*) id est societas. *b*) Sodales dicuntur sotii quasi[1] simul edales.

56. *Catasta* est lectus ferreus, in quo martyr urebatur, licet quidam velint genus esse poenae equuleo simile.

58. CHRISTO PROCREATI *a*) id est quod Christus fecit. *b*) Mamon Punice et Graece, lucrum Hebraice divitiae interpretantur.

60. V. C. IGNIS id est anima, caelo ducens originem.

61. *Cyrographum a*) est pactum quod fecit diabolus cum primo homine per mulierem. *b*) Cyrographum autem dicimus manus scripturam.

62. FVNCTA REBVS *a*) id est saeculo militans. *b*) CAESARIS id est Caesarem hic Diabolum appellat.

63. PROPRIVM[2] DEI id est animas nostras.

64. ITE SIGNORVM *a*) id est vexillorum. *b*) Verba sunt martyrum. *c*) MAGISTRI o vexillarii id est signiferi.

65. *Torquis a*) est nominativus. *b*) *Sautiorum* id est pugnantium militum. *c*) PRAEMIA scilicet quae sunt.

67. COHORTIBVS cohors proprie D viri[3].

69. VOSQVE scilicet damnat.

70. OBRVVNTVR oprimuntur, cooperiuntur.

72. Calips id est catena de ferro facta.

73. OBSOLETA putrita[4] sordida vel deleta.

74. INVIDENTVR id est NOBIS id est passiones sanctorum quia non habentur (5 v°).

75. SATELLES A. *a*) id est carnifex. *b*) Carnifices et lictores passiones martyrum scribebant ut imperatoribus eas plenius referre possent (unde et exceptores vocabantur), sed ne a Christianis rescriberentur aliquando comburenda igni tradehant.

80. PAVERINT[5] nutrierint[6], foverint.

q̈. — 2. Propiū. — 3. 67 post 70. — 4. putita. — 5 Nutrierint. — 6. pauerint.

81. DOLORE id est igni passionis.

94. *Vascones* gentes in Pireneis montibus habitantes, qui montes dividunt Galliam et Hispaniam.

96. CREDIS IN DEVM id est credis qui adheret Domino unus spiritus est et hoc proprium Deo.

99-100. *Nunc* (cf. Dr. n. c. 100) sed Diabolus cum corpus intrat, non potest se miscere cum anima.

103. AVDIAS id est audire potuisses.

104. *Per* FLAGRA taurea flagra.

117. HIBERVS ALLVIT Hiber gentile nomen est, Hiberus fluvius Hispaniae.

PERISTEPHANON II

1. ANTIQVA. Metrum Iambicum dimetrum acatalecticum.

7. Monstrum monstrosum.

22. ADFIXVS secundum opinionem vulgarem loquitur Syxtum crucifixum.

39. Levi[1] assumptus interpretatur, inde LEVITA Ebraice, diaconus Graece, assumptus Latine.

44. VOTAS *a*) scilicet a fideli populo. *b*) VOTAS participium est a voveo.

65. *Orgia* sunt proprie sacra Bachi; sicut cerimonie sacra ceteris sed indifferenter pro omni sacrificio ponuntur.

76. Quicquid semis et tertium habet *sestertium* dicitur.

86. *Praestigium a*) dicitur monstrum a praestringendo[2] id est vulnerando. *b*) Oculos enim intuentis se vulnerat incutiendo timorem.

90. AERARIVM locus est in quo pecuniae publicae conduntur.

96. *Nomisma a*) (Dr. n. c.) est moneta; dicta autem moneta quod moneat inscriptione. *b*) Nam regis nomen scriptum cum effigie in se habet, ne[3] paracaraximi id est falsissimi[4] fiant numi.

1. Leuia. — 2. p̄strigendo. — 3. Corr. ex nu. — 4. falcissimi.

100. SIGNAT DEVS id est nomen illius inscribitur in numis.

102. *Bizanteos* vel *nancones* id est denarios aureos id est Philipheos.

105. FIDEM id est quam vos per orbem venditis.

162. VIRITIM quod Graece *andraonacos* id est per singulos viros.

190. *a*) *Effosa* effosiones metallorum. *b*) RVDERA autem proprie sunt ruinae maceriarum.

209. *Morbis* DISSICIT[1] *a*) id est dissipat, lacerat. *b*) Tale est illud Apostoli (Paul. II Cor., XII, 10). « Cum enim infirmor, tunc fortior sum, potens. »

226. INTVS D. I. rei enim mittebantur ad effodiendum aurum vel ad marmora incidenda.

239. HYDROPS *a*) est nomen morbi. *b*) Hydrops aquosus. *c*) LVCIDO TENDIT scilicet ventrem veneno intrinsecus.

246. *Scortum* dicitur quasi sortum ; sortum enim solea.

247. *Cloacae* sunt loca in quae publica stercora decurrunt.

264. MORBO REGIO *a*) id est eruma. *b*) Regius morbus idem est et arcuatus et ictericus et elefantinus. *c*) Regius autem morbus ideo dicitur quia non potest curari nisi regis cibis. *d*) Vocatur elefantinus eo quod osse elephantino curetur. *e*) Dicitur autem arcuatus eo quod colorem arcus[2] celestis habet.

317. FVRCIFER id est furca dignus.

318. *Strofas a*) id est illusiones. *b*) CAVILLO cavillas venit a verbo quod est calvo id est decipio. *c*) Hinc cavillare dicimus aliquem subtiliter deridere.

321. *Cinnum* est genus potionis ex diversis mixturis confectum, hinc concinare dicitur componere.

322. LVDICRIS id est ludicra[3] res dicitur lusui apta[4].

324. FESTIVVM[5] *a*) iocus[6]. *b*) Festis enim diebus ioca et fabulae fiebant.

1. dissicis. — 2. *bis*. — 3. ludica. — 4. apata. — 5. Estiuū. — 6. locus.

326. CENSVRA *a*) id est iuditium. *b*) Hinc censores dicuntur iudices.

339. *a*) MORS INEXTRICABILIS id est insolubilis. *b*) Tricae sunt impedimenta gressuum : hinc trico tricas verbum id est remoror.

348. *Semustilati a*) id est semiusti. *b*) Semustilatus et semiustus.

368. DETORSIT *impaciens* DEI id est Moysi sicut ei Dominus dicit (Exod., VII, 1) : « Ecce constitui te deum Pharaonis. »

374. RECENS P. recens adverbium est et non facit recenter sed semper recens.

388. HIS NIDOR est proprie carnium ustrina id est carnis exuste odor.

438. IN SYMBOLVM *a*) Symbolum est signum militare. *b*) *c* aut est mutum sicut in pictura aut est vocale ut in cuba[1].

449. *Sterculus* est deus cloacarum[2].

478. VALVAS valvae dicuntur eo quod se velant recludendo intrinsecus.

479. NEFASTA LIMINA *a*) fasti dies sunt in quibus operari licet, nefasti in quibus non licet. *b*) Hinc nefasta limina id est sollemnia vocantur.

493. INDOLES est proprie imago futurae nobilitatis que videtur in pueris.

538. CLAVDIA familia erat[3] quaedam[4] quae Vestam deam colebat.

556. *a*) *Civica* est proprie corona quernea quae illi dabatur qui liberaret civem. *b*) Hinc Laurentius CIVICAM CORONAM habere dicitur quia cives liberavit ab idolis.

PERISTEPHANON III

1. *a*) Ymnus in honore passionis Eulaliae beatissimae martyris, heroici septimimeri. *b*. Metrum dactilicum constat ex tribus dactilis et semipede.

1. tuba. — 2. coaclarum. — 3. era. — 4. q̇dā.

6. OCCIDVO scilicet climati id est in occidentali parte Hispaniae.

13. PYRA πυρά[1] Graece ignis dicitur qui antequam succendatur rogus vocatur.

19. CREPVNDIA *a*) id est ornamenta. *b*) Crepundia sunt insignia vel inditia quae expositis infantibus adhibentur id est lectuli infantiles : set hic pro ornamentis ponuntur.

20. PVSIOLA scilicet ipsa : a pusio pusiola[2].

21. *Succinum* est electrum arboris id est resina quam solent milieres confricare manibus et ea faciem superducere ad provocandum cutis candorem.

22. FVLVA *a*) id est splendida. *b*) *Munilia* id est ornamenta mulierum in vertice.

59. CANOPICA *a*) id est tenebrosa. *b*) Canopica id est Egyptia. *c*) Aegyptus enim tenebre interpretatur. *d*) Est autem Canopos civitas[3] Aegypti a Canopo gubernatore Menelai illic sepulto.

77. MAXIMIANVS ET IPSE (79) qui hec colit, quia fumigabundam potestatem <habet>.

78. ILLA NIHIL id est Venus Apollo et caetera.

122. EMINVLIS id est parvis vel prorectis[4].

129. *Mola* est genus sacrificii ex farre et sale.

130. *Subigo* multa significat, acuo ut (Verg. Aen. VII, 627), « Subigunt in cote secures » et subigo compello, ut (Aen. VI, 567), « Subigitque fateri » (8 V°) et subigo id est fodio vel conculco sicut de apro (G. III, 256, ubi prosubigit), « pede subigit terram[5]. »

132. IVNCEA[6] id est recta vel gracilia[7] et plana.

136. SCRIBERIS E. M. nomen tuum notatur in corpore meo.

148. *Ore* (Dr. n. c.) TENVS id est superficie tenus.

161. REPENS repentina et subito apparens.

165. LACTEOLVS id est candidulus.

1. pyra. — 2. 20 post 21. — 3. est ciuitas. — 4. 122 post 130. — 5. tra. — 6. Uncea. — 7. gratiola.

PERISTEPHANON IV

1. BIS NOVEM Metrum Saphicum.

5. M. ANGELORVM quia sunt angeli mali.

10. NVBE SVBNIXVS[1] nubes enim in qua Christus conscendit caelum sedes erit iudiciaria.

12. PONDERE LIBRAM *a*) id est iuditium. *b*) Libra est bilanx et ponitur pro iuditio.

15. PRETIOSA id est reliquiae sanctorum.

16. CANISTRIS id est vasis vimineis[2].

17. *Affra* Cartago, pro Affricana.

19. CORDVBA civitas est.

20. TRESQVE CORONAS id est tres alios martyres ignotos.

21. GEMMIS[3] id est martyribus.

23. TARRACO[4] civita est.

24. SVTILE VINCLVM *a*) id est cingulum : quasi enim quoddam cingulum fuit Christi. *b*) Beatus Fructuosus dum in medio martyrum constitutus, eos sibi hinc inde copulavit.

29. FELICIS pro (prium nomen).

33. BARCHINON[5] *a*) civitas. *b*) *Cucufas* nomen martyris est.

34. PAVLO *a*) id est martyri. *b*) NARBO id est Narbona.

35. ARELAS civitas[6-7].

37. *Lusitania* regio est Indiae a lusibus faunorum et satyrorum dicta qui Libero Patri saltantes[8] occurrerunt.

38. ADORATE pro(prium nomen).

41. IVSTI *a*) martyris. *b*) *Heret* id est cui alter martyr coniunctus est.

42. FERCVLVM id est lectulum.

43. COMPLVTVM civitas Hispanie.

45. TINGIS *a*) civitas. *b*) *Casianum* scilicet martyrem.

1. subnixius. — 2. uineis. — 3. Gēmmis. — 4. traco. — 5. Brachi non. — 6. ciu. — 7. 35 post 37. — 8. saltentes.

46. *Masilum* pro Masilientium.

47. *Domitas* id est subiugatas.

54. *Cesaragusta a*) civitas est Hispaniae quam condidit Octavianus et ex suo[1] nomine apellavit : ipse enim dictus est Caesar Augustus; Caesar quidem a Iulio Caesare aunculo qui eum elegit in adoptivum filium ; Augustus ab augendo rempublicam, (6 v°) Octavianus vero ab Octavia[2] matre sua, sorore Iulii. *b*) Cum enim mortuo Iulio sumpsisset imperium, populus Romanus in tres partes divisus singulis eum nominibus vocaverunt : alii Octavianum, alii[3] vero Cesarem, adque alii Augustum appellantes. *c*) Quod tamen[4] ei permansit[5].

55. FLAVIS OLEIS id est quia olea flavum id est album colorem habet.

61. VIX PARENS Alexandriam dicit quae est metropolis Africe vel Egypti.

63. TE D. *a*) o Coesaraugusta. *b*) IN ISTO scilicet numero martyrum.

66. INVIDORVM id est qui invident saluti humane.

76. NOBILITATIS quia Romani erant ipsi.

80. VALERIORVM *a*) id est Valerius episcopus cuius diaconus fuit Vincentius. *b*) Valerios ergo sacerdotes vocat illos, qui sub Valerio episcopo militabant et pro[6] eius nomine passi sunt.

83. TRISTIOR TEMPLVM scilicet Valeriorum sacerdotum.

85. NEC FVROR Q. S. L. id est ut non aliquis nostrorum occumberet martyrio suo.

88. GRANDINE id est persecutione.

93. HOC COLVNT id est hanc speciem saeculi futuri.

99. ALTAE id est ad civitatem detulit.

109. HIC *a*) id est in hac civitate. *b*) ENCRATI ἐγκράτης Graece, Latine abstinens vocatur : hinc Encratici dicuntur qui a cibis quos Deus creavit abstinent.

112. DEDECORASTI[7] id est deturpasti[8].

1. uo. — 2. octouia. — 3. al. — 4. t̄n̄. — 5. 54 post 55. — 6. p. — 7. Decorasti. — 8. Det'basti.

113. MARTYRVM nullus martyr, inquid, apud nos vixit post martyrii poenam sicut tu.

117. RETEXIS id est ordinem passionis narras, aperis.

123. *Papillae* sunt summitates mamarum.

125. IAM MINVS MORTIS sensus est : minus, inquit, pretium pactae mortis fuit in caeteris martyribus in quibus ipsa mors tormenta[1] finivit quam in te qui post tormenta cruciaris.

146. LVPERCO proprium : iste Lupercus extra X et VIII[2] martyres fuit scilicet[3] nonus decimus.

163. *Saturnini* generaliter sic vocabantur.

184. AGONE id est certamine : inde ἀγωνίστης[4] Graece, Latine certator.

189. HAEC SVB ALTARI *a*) Altare passio Christi est. *b*) Subtus altare ergo corpora sanctorum sita dicimus quia passionem[5] Christi prae oculis et super se habent quam immitantur. *c*) Tale est illud in Apocalipsi (VI, 9) : « Vidi sub altare animas interfectorum. »

193. PERLVAMVS verba quae a lavo[6] dirivantur mutant a in u, ut abluo colluo perluo.

PERISTEPHANON V

INCIP̄ PASSIO S̄C̄I VIN CENTII M̄AR̄[7]

1. BEATE M. P. *a*) Metrum iambicum[8] acatalecticum. *b*) Scanditur (3) SANGVINIS MERCES.

3. Exagerando dicit quid sit corona id est MERCES SANGVINIS.

5. TORTORE VICTO id est superato carnifice, Datiano videlicet.

10. INSIGNI STOLA quando sanctus a praesenti vita transit, quasi una stola lucet, cum vero dies iuditii venerit et animo et corpore remunerabitur, tunc[9] duobus stolis collucebit (Iso : collucet).

1. trim̄ta. — 2. xx et viiii. — 3. silicet. — 4. agonites. — 5. passione. — 6. lŭo. — 7. INCIP etc. in margine. — 8. ambicū. — 9. tā : *tunc* scripsi ex Isone.

22. ROMULA pro Romulea id est Romana.

25. VOS NAZARENI id est Christiani : sic enim prius vocabantur illi, quod nomen primitus repertum est apud Alexandriam ubi Beatus Petrus episcopus factus est.

32. SEPTEM *columnas* dicit VII ministros aeclesiae : tot enim prius ab apostolis ordinati sunt.

33. TIBI ISTA P. id est tu subdere istis numinibus.

50. *Cespes* dicitur terra cum herba.

56. EXERE praepara, exerce.

66. SCITVMQVE B. C. *a*) id est decretum. *b*) *Plebisscitum* dicebatur decretum senatus postquam ad notitiam plebis veniebat.

72. *Immota a*) id est non moventia. *b*) CAECA id est quae non vident [1]. *c*) ELINGVIA quae non possunt fari.

73. SVMPTVOSA id est operosa : magnis enim sumptibus constat.

79. *Auspices* (Dr. n. c.) id est captatores et quasi auguratores.

81. INCITOS id est incitatos, provocatos.

101. FAXO *a*) id est facere [2] volo : aliquando etiam pro faciam. *b*) PRAETORIVM id est legem praetoris.

113. HIVLCIS ICTIBVS *a*) id est apertis hiatibus. *b*) PRO PVDOR interiectio dolentis et exclamative legendum est hoc. *c*) RESVLCANS id est ictum aperiens.

156. DILANCINATA [3] *a*) id est excruciata, lacessita. *b*) Dilancino [4] id est excrucio vel divido.

164. Q. FRANGENDVM id est solvendum post mortem.

173. STRIDENTIBVS VNCIS serre usum et uncinii (circini, Serv. et Isid.) Perdix invenit.

179. PVLVINAR est lectisternium quod in templis fiebat, sed hic pro templo ponitur : res divina, ceremoniae vel sacra.

199. BITVMEN Graece ἄσφαλτον [5] dicitur : inde Asphaltites lacus.

1. Corr. ex uidet. — 2. ex Isone supplevi. — 3. Dilacinata. — 4. dilacino. — 5. asphaltū.

208. EXERCEATVR *a*) id est fatigetur [1]. *b*) *Questio* id est tormentum.

210. PRORIPIT id est exilit et egreditur.

214. SPES C. *a*) scilicet in martyre. *b*) CRVDELITAS scilicet in iudice.

217. SERRATA serra vocatur lima.

220. VAPORAT id est vapidum facit et calidum.

229. POSTHINC unum vacat [2].

230. CAVTEREM *a*) id est lectum ferreum. *b*) LAVIT hunc fecit (humectavit, Iso). *c*) *Cauterium* dictum < quod urat > : interdum pro signo, interdum pro cura adhibetur ut vis morbi ignis ardore siccetur.

242. TENEBRIS NIGRIOR yperbaton [3] : fidem excedens.

244. STRANGVLANT id est claudunt, stringunt.

259. ACVMINATA INFORMIA addit multa epiteta ad exaggerandam poenam.

263. *Insomnen* id est numquam dormientis.

265. *Vafer a*) est versipellis. *b*) VERSVTVS id est callidus.

267. BELZEBVLIS... (lacuna non indicatur).

268. *Commenta* commentor est excogito : inde et commentum dicitur, ut commentum serium id est illut quod excogitavit Servius in Virgilio : et commentor facit praeteritum commentus sum.

271. MORSVS vocat foramina cippi (nervi, Iso) qui puncti vocantur in scriptura.

272. DISSILIT id est crepat, frangitur (6 r°).

283. AVGVSTIOR id est nobilior.

289. DECVRSA id est finita sunt, explicita sunt.

297. HAEC X. (i. e. Christus) et tormenta momentanea.

298. COMPENSAT *a*) id est retribuit. *b*) INTERMINO id est interminabili.

299. *Collegam* id est socium : lego legas est legatione fungor, inde collega.

1. fatigat'. — 2. 229 post 230. — 3. leg. hyperbole.

311. MANSERAT id est pro mandaverat.

315. INSTAR AEMVLAE[1] *a*) id est similitudinem imitatricis[2]. *b*) *Instar* proprie est in mente.

325. *Implentur* A. verbum impletionis[3] terrorem significat.

329. *Exemtus* id est extractus.

333. COIRE id est convenire.

335. MOLLIRE id est delicate struere.

337. DVPLICES id est profundos vel latos.

338. PERERRAT investigat.

339. PVRPVRANTEM participium pro nomine.

345. MANCEPS dicit, servus inde verbum mancipo mancipas[4], aliquem ad servitutem constringo; emancipo a servitio libero : hinc emancipatus id est a servitio liberatus.

369. TRAMITE trames a transmeando dicitur.

391. *Pleps* GREGALIS est rustica : et proprie gregales vel gregarii vocantur qui equitum greges proficiscentium ab oste minantur.

396. CARICES *a*) id est carectum. *b*) Carectum locus est ubi carices nascuntur, carix vero herba similis civario (cibaria, Iso) crescens in locis palustribus.

410. INFESTVS scilicet illi : plus quam inimicus.

412. EXEGIT id est abegit, fugere compulit.

432. NVLLVS *ne* quasi respondentis vox est.

434. *Immanitas* immanis semper in malum ponitur : mane enim dicebant antiqui bonum, inde inmanis quasi *inbonus*.

446. MVRICES murex est sumitas acutissimae[5] petrae.

455. LEMBVLO[6] *a*) id est faselo. *b*) Lembus est navicula piratica, vel extrema pars inauratae vestis id est fasciola intrinsecus assuta.

457. SPARTEVS *a*) id est asperrimus grossioris naturae id est tunica ex sparto. *Spartus b*) est frutex sine foliis, ab asperitate vocatus.

1. p multae. — 2. unitatricis. — 3. implectionis. — 4. as. — 5. accutissimae. 6. Lebbulo.

462. PALMVLA est summitas remi.

476. STRAVERAT id est complanaverat.

493. NAVITAE enfasis (leg. ectasis) est id est extensio syllabae, pro nautae.

515. ALTAR pro altare.

531. SEGMENTA proprie sunt vestes muliebres, set in hoc loco pro membris ponuntur.

561. SI RITE pro siquidem ponitur.

PERISTEPHANON VI

1. FELIX TARRACO Metrum endecasyllabum[1] Falaecium[2].

2. IGNIBVS id est cruciatibus : igni enim concremati sunt.

14. AD FORVM id est consistorium.

22. MECVM STATE V. vox est episcopi Fructuosi hortantis.

27. CONCILIAT id est consotiat, propitium facit sanctis.

40. *a*) *Damnas* proclamabis, « < si > sapiens fueris. » *b*) ANILE id est superstitiosum.

77. FACESSITE *a*) cessate : et est frequentativum a facio. *b*) Aliquando autem[3] pro[4] cesso ponitur ut hic.

86. INDVMENTA PEDVM calceamenta ex mortuis animalibus fiunt : significant autem mortua opera quibus debent exui quicumque Deo propinquare volunt.

112. SED PIA id est illis pia, aliis[5] crudelia.

128. PER SVDVM dicitur quasi subudum : post pluvias enim serenum est caelum et sol clarus lucet.

PERISTEPHANON VII

1. INSIGNEM Metrum[6] Gliconium constans ex spondeo[7], coriambo et pyrrichio.

1. endetasyllabū. — 2. faleuciū. — 3. aut. — 4. p. — 5. alia. — 6. Meretrū. — 7. pondeo.

16. NIL REFERT utrum, inquit[1], sanguine passionis martyrum pereat[2] an necetur in mari nihil differt[3].

45. Mori et EMORI idem est : sic idem est curvum et *recurvum*.

PERISTEPHANON IX

57. DVCENTAE... (lacuna non indicatur).

80. MENDOSA FORTE menda est vitium scriptionis : hinc emendare dicimus mendam tollere.

88. RELAXAT *artus* (Dr. n. c.) id est membra in quibus anima latebat.

100. TEPESCIT id est calescit diu osculando.

102. MVRMVRO id est cum murmure dico.

PERISTEPHANON X

1. ROMANE CHRISTI Iambicum trimetrum, acatalecticum. senarius iambus.

INCIPIT ROMANVS[4].

2. ELINGVIS *a*) id est muti. *b*) Elinguis dicitur sine lingua id est mutus qui Graece ἄλαλος[5] dicitur.

3. INFANTISSIMO *a*) id est ineloquentissimo. *b*) Hic et haec et hoc infans dicitur de aetate, neutro vero genere de pecude vel quolibet animali nuper nato.

5. MVTOS ELOQVI quia et ipse sine lingua locutus es.

15. RAVCA *a*) id est male sonans. *b*) Raucum τῶν μέσων[6] est id est medie significationis : ponitur et pro male canenti et bene. *c*) Hinc et rautiones vocat Italia cignos quod bene canant.

17. MESSIAM id est Christum. *b*) Messias Ebraice, Χριστός[7] Graece, unctus Latine.

26. SIC VVLNERATVS Aesopi[8] fabula de lima et serpente.

37. DE SEPVLCHRIS de legione demonum nunc dicit

1. Corr. ex inquid. — 2. pagat. — 3. difert. — 4. INCP ROMAN' ante acalecticū (1). — 5. alalos. — 6. Ton meson. — 7. xps. — 8. Hysopi.

quae invaserat homines duos qui non in domibus sed in sepulchris morabantur.

53. PERDVELLES *a*) id est rebelles. *b*) *Duellio* vel *duellis* rebellis est, duellium vero et duellum[1], ipsa res id est rixa.

55. TVRBINI *a*) id est persecutioni. *b*) Turbo turbinis vis venti, turmen turminis trocus, Turbo Turbonis[2], proprium.

61. AD SVBSELLIA *a*) id est ad tribunal. *b*) SVBSELLIA sunt loca in quibus iudices sedebant dicta a sellis in quibus ipsi[3] sedebant.

73. COSTAS BISVLCIS EXECANDAS VNGVLIS INRVMPIT ALTVM LIMEN[4] scilicet praefecti : et praeconibus stupore mutis ipse tortorem trahit.

76. ADSTANTI[5] OB ORA SIC TYRANNVS[6] INCIPIT INFAME MONSTRVM VILIS < INTESTABILIS > qui testamentum facere non potest vel indignus[7] memoria.

109. *Eculeus* genus tormenti in modum aequi factum ex ligni vel aere ubi extendebantur martyres.

111. *a*) Apparitores < ab > apparendo, oboediendo dicti[8]. *b*) SVGGERVNT indicant.

115. PLEBEIA CLARVM claros dicimus nobiles et e contra ignobiles obscuros[9].

118. PERSONA QVAE id est sive nobilis sive ignobilis convenienter punitur.

124. AVT LEX *a*) scilicet curiae. *b*) Curia dicta a curis.

126. INCVNABVLIS[10] incuna et cunabula idem sunt, et cune et crepundia et crepitacula.

128. DEI PARENTIS qui « insufflavit in faciem primi hominis spiraculum vite » (Gen. II, 7).

130. DEGENER est cuius facta non respondent nobilitati patrum.

136. CAVE BENIGNVS *a*) id est ne : « cave facias »,

1. duelliū. — 2. Corr. ex turminis. — 3. ipse. — 4. lum̄. — 5. stanti. — 6. tirann'. — 7. dign'. — 8. Oboediendo dicti post *Sugger*. — 9. 115 post. 144. — 10. Cunabūl.

solemus dicere id est ne facias et melius quam cave ne facias. *b*) Cave enim sensum negantis habet et ne similiter; ergo duo negativa unum affirmativum faciunt.

140. FLOCCI FECERO [1] *a*) id est parvi pendam, nihil ducam. *b*) Floccum [2] dicimus pilum vestis, cui despecta res comparatur [3] : hinc verbum tractum est floccifacio.

143. FASCES pro [4] dignitatibus ponuntur et pluraliter semper declinantur.

144. LICTOR *a*) id est vergifer. *b*) TRIBVNAL id est sedes iuditiaria. *c*) *Tricenta* finitum pro infinito.

155. < PROCERES > *a*) proprie [5] mutuli trabium. *b*) MATRIS id est Opis. *c*) Matrem Deum dicit quae curru vehitur.

156. LAPIS *a*) id est gagates <In margine haec notae ad *gagates* et *esseda* adscribuntur, cultro tamen compactoris partim accisae aga illi^s in hac epingebat^r i. agate et argento rcumdat^r sseda vocabat le curr^s illic^s. Propono : Baga illius in hac depingebatur, id est gagate et argento circumdabatur. Esseda vocabatur talis currus Gallicus.> *b*) *Esseda* id est Gallicum vehiculum.

160. ALMONIS id est fluvius.

165. PVLSET PVELLAS id est feriant percutiendo natas illarum [6].

166. Impersonale *miseret* verbum est a verbo misereor, misericordia mihi est.

167. MORVMQUE ROMA ad Romam [7] facit apostrophen [8].

172. VVLTVOSVS *a*) id est tortos oculos habens. *b*) SVPINVS id est superbus. *c*) QVOD RIGENS id est erectus.

182. AMASIONVM *a*) id est amatorum vel catamitorum. *b*) Catamitus Graece, superincumbens Latine. *c*) Amasius amasiones [9] idem est.

184. PELLEX dicitur eo quod pelli illiciat.

185. *a*) Inter *fornicationem* et *adulterium* et *incestum* haec

1. fero. — 2. flociū. — 3. coparat^r. — 4. psu. — 5. Ppiae. — 6. 165 post 166. — 7. roma. — 8. apostrophoon. — 9. Amasunes.

distantia est : fornicatio cum puellis et viduis, adulterium cum aliorum uxoribus, incestum cum propinquis et sanctimonialibus. *b*) DEOS CATENAE [1] Martem dicit qui cum concumberet [2] cum Venere, a Vulcano marito illius quibusdam catenulis mechanica [3] arte factis irretitus est quod, sole indicante, ad notitiam deorum pervenit unde et Venus Phassiphae filie eius turpem amorem immisit ut cum tauro concumberet.

187. VERVECE vervex dicitur a verme quem in capite habet qui cum scalpit incitat eum ad proeliandum.

188. *Delfos* insula est in qua colitur : hinc Delficus dicitur, sicut a Delo Delius.

191. *Impuratus* id est vitiatus, inmundus.

192. FLORVLENTVM *a*) id est pulchro id est floribus ornatum. *b*) DISCO genus ludi erat qui super discum agebatur super quem ille ephoebus ludens a Borea occisus est.

195. BVBVLCVS custos boum, armentarius.

196. AN *a*) (id est numquid [4]) *a Cybebis* id est Opis. *b*) Cybele et Cubebe [5] et Cubele atque Berecincia vocatur Mater Deum.

197. GALLVS [6] *a*) id est spado. *b*) Galli Senones obsederunt Romam et quoscumque capiebant Romani ab illis evirabant; hinc abusive omnes castrati galli vocabantur: omnes evirati galli vocabantur propter amputatos testiculos.

198. PER TRISTE VVLNVS id est quo castratus est.

203. IVLIAE *a*) scilicet legis. *b*) Iulia lex dicta est a Iulia eius repertrice, quae lex adulteras diiudicabat.

204. Similiter, *Scantinia* quae adulteras plectebat.

213. LEMNIVS *a*) id est Vulcanus. *b*) Lemnius dictus est Vulcanus quasi lutosus a Greco quod est LIMNOC id est lutum : nam sordidatio adulterii ex calore fit ignis qui dicitur Vulcanus.

1. catane. — 2. concuberet. — 3. methanica. — 4. *Supra*. — 5. cucubebe. — 6. Corr. ex gallos.

220. *Theatrum* dicitur locus ubi spectacula fiebant; dictum autem theatrum a Greco quod est θεωρῶ[1] id est video.

221. *Cignus* STVPRATOR *a*) id est Iovis. *b*) Versus in cignum quando Ledam strupavit[2]. *c*) CYGNUS dictus est ἀπὸ τοῦ κοινοῦ[3] id est a communi. *d*) PVLPITA sunt gradus scaenae.

222. *Lydius* fuit quidam poeta vel mimologus qui cantabat Iovem versum fuisse in taurum dum vitiavit Europam.

226. *Cachinnus* est crispus et dissolutus risus.

227. Alcmene dea mater Herculis fuit, (cuius homo Sosias erat) uxor Amphitrionis quam Iovis vitiavit vertens se in similitudinem illius, Mercurio asistente, dum ipse Amphitrio quandam obsideret civitatem; de quo adulterio natus est Hercules[4].

(Haec in margine summae paginae rectae folii noni adscripta invenias: *a*) Alcmena uxor fuit Amphitrionis quam vitiavit Iovis se nesciente, Mercurio assistente vertens se in similitudine illius Amfitrionis manducans et bibens cum ea cotidie[5] illa existimante suum esse. *b*) Dum ipse Amfitrio quandam obsederet civitatem[6] sed victoria potitus revertens domum misit ante se nuntium nomine Sosiam[7] dicens « Ite domum et provide quod operatur domina tua Alcmena. » *c*) Ipse vero pergens pervenit ad portam usque; adpropinquante vero ad vestibulum domus invenit ibi Mercurium in similitudinem sui transformatum qui dixit ei « quis es tu? » cui ille, « Ego sum Sosia et dominus meus Amphitrio mittit me ante qui post me cum magno triumpho venit ». *d*) Cui Mercurius, « Mentiris certe, sed ego sum Sosia et dominus meus Amphitrio[8] est in domo cum <uxo> re sua Alcme <na> » et tunc verberavit illum multis mo <dis>. *e*) Ille vero semivivus relictus nuntiavit hoc domino suo, Amphi-

1. theoro. — 2. sturpauit. — 3. apotuchinu. — 4. herculus. — 5. cotidi die. — 6. ciuittatē. — 7. sosia. — 8. amph.

trioni dicens « Certe nescio, putabam[1] esse Sosiam, Sosiam inveni et caesus sum ab eo et inter has mor <as> evanuit Iovis et Mercurius cum[2] <eo>. *f*) Ipsa est in qua generavit Herculem fortissimum virum in ipso adulterio).

228. MERETRIX ADONEM *a*) Ado fuit amasius Veneris quem interfectum ab apro plangebat. *b*) Revera Ado Solem, aper hiemem, Venus <terram> significant. *c*) Plangit ergo Venus id est terra, Adonem id est Solem quasi ab apro hieme occisum quia terra Sole hiemalibus pluviis obnubilato nihil parit viriditatis[3].

235. LENO *a*) ipse armiger. *b*) EXOLETVM[4] scilicet puerum Troili id est Ganimedem. *c*) Obsoletus et exoletus fetidum vel sordidum significat, sed exoletus aliquando pro excreto[5] ponitur, adulescente.

236. CERES scilicet querens Proserpinam filiam suam per plateas quam rapuerat Pluto.

239. *Tirinthium* id est Herculem quem Omfala concubina sua ei deludendo nere faciebat.

240. NEAERA[6] *a*) uxor Herculis quae et Omfala alio nomine vocabatur, ex suo amore cogebat Herculem licet fortissimum muliebriter filia trahere. *b*) Ὀμφαλός[7] Graece dicitur Latine umbilicus.

245. IN ALGIS VILIBVS *a*) scilicet est: quia nymphae in talibus morantur. *b*) Alga est proiectum maris.

248. PVLMONEM MOVET cum homo enim <videt> pulmo eius commovetur.

250. QVAS *vinolente* *a*) lentum (9 v°) dicimus plenum, unde vinolentus, vino plenus dicitur. *b*) Meticulosae sunt ANUS et ideo talia inveniunt.

253. PROMISCE[8] pro promiscue[9] causa metri.

255. CANOPVS civitas est Egyptia[10]: pro tota Aegypto ponitur.

256. SIMIAM *a*) quam precantur Aegyptii. *b*) Tria genera sunt simiarum: unum spinx id est simia villosa, aliud genus simiae mirabilis forme, quod dicitur circo-

1. putuba. — 2. cu. — 3. uiriditas. — 4. Corr. ex exuletū. — 5. exoreto. — 6. Neerea. — 7. omfala. — 8. Promiscae. — 9. pmiscue. — 10. egypta.

peticus (hanc colunt Aegyptii), tertium est illius quod nos habemus, sine cauda.

259. Ab ara *arula* diminutivum.

261. LARES dicuntur dii culinarum.

274. ET *corimbis* corimbi sunt proprie racemi hederarum, sed in hoc loco pro uvis vitium accipiuntur.

279. TRIVMPHOS INDICOS ipse enim de Indis triumphavit.

285. CLAVAM[1] id est percussionem : baculum Erculis vocat CLAVAM ferrum in capite habentem.

290. LAPIS S. F. de quo facta est statua lapidea Iunonis.

291. MENTOREM proprium nomen sculptoris.

292. *Fidias*[2] proprie[3] operator talium.

296. *a*) *Pagos* Graece, villa Latine dicitur : hinc pagani dicuntur villani. *b*) Pagus enim pro stultitia ponitur sicut in hoc loco.

297. Obsonor est prandeo : inde *obsonium* prandium.

303. *Circulator* est deceptor qui quodam circulo erroris involvit homines.

304. *Vanulae* vel *rancide* (Dr. n. c.) id est male canore.

305. EDENTVLARVM id est anuum quae sunt sine dentibus.

307. PERPENSA id est instructa et perfecta, temperata et mediocris.

324. POLLET pollere proprie est excrescere : sed hic pro excellit ponitur.

327. GLOBOS *a*) scilicet siderum id est solem et lunam. *b*) PRAESIDES praesides noctium sunt luna et stellae.

331. PRAERVPTA id est aspera vel montuosa.

333. SVBIVGALES omnia quae iugo subduntur.

342. TEMPLI GENVS id est mens humana.

347. SENSVALEM id est rationalem.

348. INCAPACEM[4] id est quae non capit solutionem.

350. COLORIBVS scilicet virtutum.

1. Claua. —2. Fidas. — 3. Pp̄. — 4. Capace.

354. LITARI scilicet sacerdos Fides.

360. SPEM NON IACENTEM id est Spes non debet iacere sed se erigere.

367. PROBATVM id est probabiliter : nomen pro adverbio.

368. VIGOREM id est rationem, intentionem.

369. IGNIS A.T.V. id est anima quae igneae est naturae.

374. CADAVERI id est corpori, quod resolvendum est in cadaver post mortem.

376. VLTIMA id est persona ultima id est extremum : pro pessimo ponitur, tractum a lupis quorum extremi foetus vel rapacissimi[1] noscuntur. (Haec in margine inseruntur : a tastatibus, i. e. catastro, in quo martyr urebatur.)

381. *a*) *Deasceato* (Dr. n. c.) id est cum ascea planato vel formato. *b*) STIPITI id est statuae.

383. ARAS *offellis a*) id est particulis. *b*) *Zeugma*[2] est a superioribus. *c*) BVBVLIS id est bovinis.

392. SVBDOLAM dolus dicitur a deludendo id est decipiendo : inde subdolus dicitur fraudulentus.

393. STOMACHATVS id est iratus ; stomachor est irascor.

401. O FAS PIORVM scilicet antiquorum nostrorum.

402. INVENTA[3] id est inventiones.

403. POMPILIORVM *a*) id est Numam Pompilium dicit qui dicebat se didicisse cultus deorum ab Egeria nimpha, cum qua omni nocte dicebat se colloqui. *b*) CARPVNT id est vituperant. *c*) SECVLA id est homines nostri temporis.

404. SOPHISTAS *a*) id est callidos argumentatores. *b*) σοφός[4], sapiens, sophista callidus argumentator.

407. CONSVLES qui istos coluerunt deos.

408. NE RETEXAM *a*) id est non memorabo. *b*) NESTORAS accusativus Graecus est. *c*) Nestor fuit antiquissimus rex Grecorum qui deos colebat.

1. racissimi. — 2. zeuma. — 3. Iuenta. — 4. saphos.

409. QVICQVID NOVELLVM id est doctrinam Christianam novam vocat.

410. *Summam* (Dr. n. c.) RERVM *a*) id est initium nostrae religionis. *b*) *Pyrram* id est Pyrra uxor fuit Deucalionis a cuius tempore dicit coepisse illorum religionem cuius tempore omnes diluvio perierunt : sed ille cum uxore post tergum lapides proiecit qui in viros conversi sunt, Pyrra quoque uxor illius similiter de lapidibus proiectis feminas procreavit.

414. AVSPICATO id est per auspicium id est per vulturem et est adverbium.

415. IOVI STATORI Romulus cum quadam vice fugeret hostes, invocavit Iovem et stetit exercitus illius fugiens ; unde Stator dictus est Iovis.

419. PROCINCTVS apparatus bellicus (10 r°).

433. *a*) *Succulentis* id est nebulosis, lacrimosis. *b*) INFLVENS[1] scilicet illud lumen.

436. PVPILLA *a*) pupos dicimus parvos, hinc pupilla dirivatur id est meditullium oculi in quo est pontificium visus. *b*) CRASSA id est corpulenta.

448. VISCERA viscus est quicquid corio tegitur.

449. RIMAMINI rimari est proprie porcorum qui in rimis hoc est in venis terrae cibos adquirunt[2].

451. TETERRIMI id est crudelissimi.

452. PENSILIS id est pendentis in aeculeo.

453. SVLCANT *a*) id est infigunt ipsi milites. *b*) TRACTIM id est continuatim.

456. NITENDO *a*) id est insistendo[3], laborando. *b*) ANHELANT[4] id est fatigantur. *c*) DIFFLVVNT id est dissolvuntur, humectantur scilicet carnifices.

458. SPONTE id est nullo interrogante.

460. LANCINAMVR id est laceramur : lanio enim et lancino et lacero idem sunt.

461. INSEDIT id est impressus sit vel est.

466. AVDITE vox martyris.

1. Post *lumen*. — 2. Corr. ex adquirit. — 3. isistendo. — 4. anhelant[2].

469. IDEM PARTICEPS humando.

473. AVT LVCE FVLGET nunc dicit dispares casus.

475. MANCIPATVR id est traditur[1], redigitur.

477. OLIM PERPETIS id est futuri temporis.

478. PARVI PENDO *a*) pro nihili duco. *b*) QVO PACTO id est quo ordine moriantur.

479. CASVRA scilicet ipsa membra.

480. INSTAT id est imminet.

481. FIDICVLAE id est parve cordae quibus martyr ligabatur.

484. *Ungula* est ferrum aduncum vel bissulcum unde martyr radebatur.

485. PLEVRESIS πλευρόν[2] Graece latus ; hinc pleuresis dicitur passio lateris.

486. *Laminis* laminas aeneas faciebant in quibus aetiam sua idola sculpebant quas igne calefactas martirum corporibus infigebant.

487. VT FEBRIS febris nascitur ex felle et sanguinis immoderantia.

489. PAPVLAS *a*) id est carbunculos. *b*) Carbunculi sunt lapilli dicti a carbonibus eo quod in summitate nigredinem habent.

490. CREMARI *a*) scilicet illum hominem. *b*) CAVTERIBVS hic cauter sub secunda et tertia declinatione et dictum a caute tenendo. *c*) Est enim ferrum calidum quo pectora signantur.

492. REVELLVNTVR id est dividuntur prae nimia extensione.

495. PODAGRA *a*) id est passio pedum. *b*) Artresis est condologmatica id est nodositas manuum quae et chiragra dicitur id est manuum passio. *c*) Cum vero digiti nodantur condilocmatica vocatur : nam κονδύλους[3] dicunt Greci nodos.

498. *Hypocrita* Hypocrites quidam medicus fuit cuius medicinalis domus laniena vocabatur dicta a laniendo eo

1. trudit[2]. — 2. pleuros. — 3. condilos.

quod in ea morbi laniebantur id est abscidebantur : unde laniena vel laniola est domuncula in qua medici carnes infirmorum [1] dilaniant medendo.

500. SCALPELLA *a*) id est ferramenta medicinalia. *b*) PVTREDO id est putrida caro.

501. *Cyrurgos a*) omnes medici aut cyrurgi sunt aut empirici [2] : cyrurgi sunt qui manu medicinam operantur. *b*) χεῖρα [3] enim enim Graece, manum Latine. *c*) Empirici [2] tantum intellectu morbum cognoscentes et nihil manibus operantes verbis tantum medicant.

506. QVANTA id est quam magna corruptio.

